Diss.
5666
-4-

2983.

<36602051720012

<36602051720012

Bayer. Staatsbibliothek

4° Diss. 3666 (4

2003

DEO ANNUENTE

&

Consentientibus Superioribus

DE

JURE CIRCA COLORES

Von

Farben-Recht/

SUB PRÆSIDIO

DN. CHRISTIANI THOMASII,

Phil. & J. U. D.

Domini Præceptoris sui

Summa cum observantia colendi

Ad Diem 24. April. ♂ A. O. R. M. DC. LXXXIII.

Solenniter Disputabit

HERMANN. Wißmann,

Magdeburgicus.

AUTOR

H. L. Q. C.

LIPSIÆ.

REC. Typis GABRIELIS TROGII. (9. B.)

Bibliothek
Universitäts
Medizin

ILLUSTRIBUS
ATQUE
GENEROSISSIMIS
DOMINIS

DN. THOMÆ DE KNESEBECK

DYNASTÆ IN TILSEN &c.
SERENISSIMI AC POTENTISSIMI
ELECTORIS BRANDENBURGICI
CONSILIARIO INTIMO,
VETERIS MARCHIÆ
AC CURIÆ PROVINCIALIS, QUAE STENDALIÆ
EST, PRÆSIDI,
SERENISSIMÆ ELECTRICIS
SUPREMO AULÆ PRÆFECTO,
ET PRÆFECTURARUM SERENITATIS EJUS
CAPITANEO SUMMO.

DN. GUSTAVO ADOLPHO

DE SCHULENBURG,
DYNASTÆ IN SCHADELEBEN &c.
SERENISSIMI AC POTENTISSIMI
ELECTORIS BRANDENBURGICI
CONSILIARIO INTIMO,
CAMERÆ ELECTORALIS
IN DUCATU MAGDEBURGENSI
PRÆSIDI,
ET CAPITANEO
IN MORIZBURG AC GIBICHENSTEIN.

Bayerische
Staatsbibliothek
München

UT ET

DN. GEBHARDO JOHANNI DE ALVENSLEBEN

DYNASTÆ IN ROGEZ, EICHENBARLEBEN ET ERXLEBEN &c.

SERENISSIMI AC POTENTISSIMI

ELECTORIS BRANDENBURGICI

CONSILIARIO PROVINCIALI

IN DUCATU MAGDEBURGENSI &c.

DOMINIS PATRONIS AC PROMOTORIBUS

OPTIMIS MAXIMIS

TUM

IN TESTIMONIUM PERPETUÆ OBSERVANTIÆ

TUM

IN STUDIORUM SUORUM

ULTERIOREM COMMENDATIONEM

EXIGUAM HANC

DE JURE COLORUM

DISSERTATIONEM

OBSERVANTER CONSECRAT

HERMANNUS WISMANN.

Ad Nobil. & Cl.

DN. RESPONDENTEM.

Fœde conſpurcant fallaces
Jura colores,
Rabula dum falſis ludit imaginibus.
Aſt Illis, WISMANNE, Tuus COLOR iſte nitorem
Addit, quem præſens pagina docta tenet.

D. JACOBUS BORNIUS,
Fac. Jurid. Ordinarius & Anteceſſor Primarius.

PROOEMIUM.

CUm Patronis ſtudiorum meorum ſpecimen aliquod Juridicum exhibendum foret, de tali themate fui ſollicitus, qvod vulgare non eſſet, aut ubivis obvium, recordatus hac in parte Dietherri, qui *in Præfat. ad Theſaurum Practicum Beſoldi, pigrorum Candidatorum ſignum eſſe*, ait, *vulgarem materiam eligere, eamqve vulgariter ex tribus fortean Compendiis in ea ipſa Univerſitate natis pertractare*, præprimis cum præter materias inſignes a Dietherro *d. l. tum & in præfatione ad Beſold. contin.* indicatas, plurimæ adhuc, non dicam infinitæ, ſuperſint, ut adeo de raritate carum conquerendi non habeant opus, qui ad tegendam ignaviam ſuam hoc prætextu utuntur. Quoniam vero ſimul deprehenderem, pleraque themata ita eſſe comparata, ut propter latum eorum ambitum integros tractatus deſiderent, mihi autem propoſitum fuerit paucarum plagularum diſſertationem elaborare, ſponte elegi materiam ejusmodi, quæ ſterilis primo intuitu videretur, non dubitans, quin & in ea diligens animus deprehendere poſſet, quod erueret. Atque commode COLOR incidit, qua voce, qui in diſputationibus juridicis hactenus tituli loco uſi ſunt, illi certe eum non proprie acceperunt, ſed figurate pro fictione aut prætextu. Qui vero colorem, qui viſus objectum eſt, juridice exponeret, mihi quidem de-

deprehendere licuit neminem, forte quod is ad juridicam disputationem haud aptus videretur. Cum tamen *l. 6. ff. de Rei Vindic.* occurreret mihi, cogitavi, me non frustra laboraturum esse, si jura, quæ circa colorem existunt, explicarem, arbitratus, hoc pauciſſimis chartarum foliis fieri posse. Sed fefellit tamen me mea opinio. Vix enim e sex vel septem Autoribus quæstiones huc spectantes collegeram, cum sentirem, materiam hanc, etsi primo intuitu sterilis videretur, ampliſſimum tamen præbere argumentum tractatui juridico molis non contemnendæ. Coactus igitur fui subsistere, & quæ brevi temporis spatio collegeram, in ordinem disputationis redigere, suaque forma donare. Excusabit igitur, ut spero, me Benevolus Lector, si non omnes controversias huc spectantes definitas aut prolixe tractatas deprehenderit. Volui enim magis summarie & per indicem quasi ostendere, quomodo materia hæc tractari possit, quam pro dignitate eam proponere. Sit itaque

B. C. D.

CAPUT I.

Quid sit color & quotuplex?

SUMMARIA.

Color proprie dictus §. 1. rejectis aliorum definitionibus §. 2. 3. describitur §. 4. quod sit qualitas §. 5. 6. quæ visu percipi potest §. 7. & ostenditur, descriptionem istam non competere luci, nec formæ, nec figuræ §. 8. 9. 10. competere tamen colori omni, quamvis quandoque tactu fuerit perceptus §. 11 12. De causis colorum remisſive §. 13. Color sumitur vel in sensu abstracto vel in concreto. §. 14. prædicatur etiam de substantia vel accidentaliter vel essentialiter. §. 15. & dividitur §. 16.

(1.) In

(1) in realem & apparentem §. 17. (2) in nativum §. 18. & factitium §. 19. quæ divisio applicatur etiam ad colorem accidentalem §. 20. (3) in simplicem & mixtum §. 21. (notatur Schefferus §. 22. 23.) Simplicium numerus expensa opinione Schefferi §. 25. 26. & Kircheri ostenditur esse quinarius §. 27. Mixti sunt vel principales vel secundarii §. 28. Hi sunt infiniti. Illi decem. §. 29. quamvis Schefferus novem statuat, cui & Kirchero respondetur §. 30. 31. & Boyle §. 32. Schema colorum mixtorum principalium §. 33. (4.) in humidos & siccos, (5.) in nobiliores & ignobiliores, ubi notatur Höping §. 34. Usus colorum in aliis disciplinis. Quid intelligatur per Jus colorum? §. 35.

§. 1

COlor sive a *Calore*, sive a *Colendo* (vide *HöPING de Jure insign. c. 9. §. 3. membr. 2. n. 447. f. 650.*) sive aliunde dicatur, potissimum sumitur dupliciter: improprie & proprie. Illo modo vel pro velamento causæ & prætextu, (cui acceptioni etiam favet Germanica locutio: Der Sachen ein Färbgen anstreichen) vel pro argumento probabili foras accersito pro defensione causæ per se debilis, vide *JOH. GULDTE disp. inaug. de Coloribus quæst. Altorffi 1657. habita th. 3. & 4 QUINTILIAN. instit. Orat. l. 4. c. 2 p. m. 190. seq. conf. eund. l. 3. c. 8. p. m. 150. & lib. 9. c. 1. p. m. 399.* Occurrit significatus ille improprius etiam in jure qua Justinianeo. *l. 29. ff. ad L. Jul. de adult. l. 1. §. 4. de abigeis. l. 2. C. de donat. inter vir. & uxor. l. 14 C. de SS. Eccles. l. ult. C. mandati l. 2. C. de indict. Viduit l. 76. ff. de Condit. & demonstrat. l 19. C. de Episc. & Cleric. l. 18. ff. de minoribus. l. 3 C. qui legit. pers. stand. in judic. l. 19. C. de Calumniat.* qua Canonico *cap. 16. circ. med. de elect. in sexto.* Neque solum color in genere metaphorice accipi consuevit, sed & idem speciebus, potissimum albo atque nigro, contingit. Nihil enim frequentius, quam ut is in bonam, hic in malam accipiatur partem, vide *HöPING d. l. n. 439. f. 648. CHASSAN. Catal. glor. mundi P. 1. Consid. 38. concl. 66. p. m. 79.* Sumitur etiam *color* improprie pro conditione vitæ seu statu, ut in illo *HORATII*:

Omnis Aristippum decuit color *& status & res &c.*

per ea, quæ eleganter adducit *B. KAPPOLTUS in Comment. ad Horat. Epist. l. 1. c. 38. p. m. 793. Conf. infr. cap. 2. §. 51.* Nos eo misso in præsenti agemus de proprie dicto colore, qui visus objectum est, & germanic

Farbe dicitur, quique alias Latine, & præprimis in arte pictoria, quandoque *cera* nomine venit, quo spectat dictum *JUVENALIS Sat. 8.*

Tota licet veteres exornent undique ceræ
Atria, nobilitas sola est atque unica virtus.

Alia loca vide apud *FABRUM in Thesauro voce: Cera sed vide tamen infra §. 109.* Occurrit hic significatus etiam in Jure Justinianeo, ut *in l. 6. ff. de R. V. l. 19. §. 4. de furtis l. 1. §. 40. ff. Depositi*, & aliis in textibus, de quibus suo loco.

§. 2. In tradenda *Coloris* nostri definitione mirum quantum variant Autores. *SCALIGER subtil. exerc. 325. sect. 4. & seqq.* colorem dicit esse *qualitatem, quæ in toto suo corpore sua specie (quæ educitur a luce) pingat aerem ad visionem faciendam*, sive *colorem esse, qualitatem ex elementorum qualitate luce conflata quatenus lux est. MARGARITA PHILOSOPH. cap. 8. in princ. l. 10. tract. 2. colorem vult esse qualitatem in extremitate corporis perspicui in corpore terminato.* Hoc est: *Colorem esse qualitatem in extremitate corporis terminati sive opaci, quæ perspicuum tangit, ita tamen, ut color quoad essentiam, non autem quoad extremitatem perspicui per inhærentiam, sed per qualitativam contingentiam referri intelligatur.* Collegit has quatuor definitiones *HÖPPING d. c. 9. §. 3. membr. 2. n. 448.* Aliam coloris definitionem tradit *SCHEFFERUS de arte pingendi §. 41. p. 155. Colorem*, inquit, *esse lucis umbræque aliquam mistu ram, docet Aristoteles in peculiari de Coloribus opusculo.* Rursus alii *colorem* dicunt esse modificationem imaginis immissæ & receptæ. *GULDTE d. l. §. 2.* Plures dabunt forte alii.

§. 3. Ex his definitionibus eligat quicunque velit, quæ sibi placeat. Mihi enim, ut ingenue fatear, nulla ad palatum est, quoniam omnes rem in se satis notam atque cuilibet cognitam obscurant magis quam ut explicent, sum tamen definitionis bonæ scopus primarius sit, ut ex ea de re ignota aut obscura conceptum distinctum atque perspicuum acquirere possint homines. In specie vero quantum ad Schefferi definitionem attinet, de ea notabimus quædam commodius *infra §. 22.* Omnino autem fatendum est, colorem esse ex rerum physicarum genere, quarum plerasque facile a se quocunque modo discernere, & quid non sint absque meditatione dicere possumus, cum tamen essentiæ earum, & quid sint, cognitionem intellectus nostri, lapsu primævo corrupti, etiam profundissime meditantis.

tantis effugiant. Agnovit id ſuo tempore jam Plato, qui in Timæo inter alia tradit, narrare prudentis non eſſe, etiamſi noverit, quo menſutæ modo ſinguli colores ſingulis miſceantur, præſertim cum neque neceſſariam neque veriſimilem de his rationem afferre ullo modo poſſit. *Add. KIRCHER. Mund. ſubterr. lib. 8. ſect. 1. cap. 5. p. m. 8.* Quo pacto forte facile me excuſatum iri ſperare poſſem, ſi hujusmodi ſpeculationibus ad Philoſophos rejectis, ipſam rem, cujus gratia calamum ſuſcepi, aggrederer.

§. 4. Ne tamen quod non infrequens eſſe videmus, de re tali diſquiſitionem inſtituam, cujus conceptum & ego ignorem, & Lector benevolus, atque ita in decidendis controverſiis more Andabatarum pugna inſtituatur, dabo coloris ſi non definitionem accuratam, certe deſcriptionem perſpicuam, quæque & ſoli & omni colori applicari poſſit. Dico igitur: *Colorem eſſe qualitatem, quæ viſu percipi poteſt.*

§. 5. *Qualitatem* generis loco poſui, nec forte quisquam dubitavit colorem eſſe qualitatem. Quid autem ſit qualitas? fruſtra a me quærit Lector benevolus, præprimis, ſi vulgata definitione, quod qualitas ſit accidens, ſecundum quod aliquid dicatur quale, contentus eſſe nolit. Neque enim ſcopus meus eſt in præſenti ſcholas emendare velle, aut libellos Logicos, in quibus iſtam definitionem deprehendere licet. Simus ergo hactenus hoc Catone contenti.

§. 6. Abſtraho etiam ab illa lite Phyſicorum, an color ſit qualitas realis an intentionalis, ſeu, ut alli ſtatum formant, an color inhæreat vel potius adhærea. corpori, quod coloratum dicitur, an vero inhæreat luci. *Etenim*, inquit *BOYLE Experim. de Color. part. 1 cap. 2. p. m 12. conſiderari poteſt color vel ut qaalitas reſidens in corpore, quod dicitur colorari, lucemque hoc vel illo modo modificare, vel ut lux ipſa, quæ ſic modificata ferit organum viſus, adeoque ſenſationem iſtam, quam colorem vocamus, producit. Atque hanc poſteriorem haberi poſſe ut genuinam magis, licet haud uſitatiorem vocabuli coloris acceptionem plura loca diſſertationis noſtræ probabile reddent. Et ſane lux eſt ipſa, quæ certo pacto vel umbris mixta vel aliis modis turbata oculos noſtros feriens magis immediate in organo motum producit, cujus nomine dicimus nos hunc illumve in objecto colorem videre. Quia tamen quædam eſt in corpore quod coloratum dicitur ſuperficialium particularum diſpoſitio, qua illud reflexam refractamve lu-*

cem ad oculos noſtros hoc vel illo modo, & non alio alteratum dirigit, dici quoque ſenſu quodam poteſt, colorem a ſenſu viſibili dependere, &c. Si tamen aperire deberem, quid ſentirem, dicerem, rationes *BOYLE*, quas videre licet *d. l. p. 13. ſeq.* id ſaltem inferre, non omnes colores adhærere corpori, quod coloratum dicitur, quod forte nemo unquam ivit inficias. *Conf. eund. BOYLE d. l c. 3 p. 25.*

§. 7. Differentiæ loco addidi, *quæ viſu percipi poteſt*, quæ verba tamen cave ſic intelligas, quaſi velim viſionem fieri per ſolam paſſionem. Eſt enim vox, *accipiendi & percipiendi*, ita comparata, ut & actionem & paſſionem denotet. Sic v. g. pauper eelemoſynam *accipit* a divite, quamvis uterque & dives & pauper manus extendendo diverſo reſpectu aliquid agere & pati dici queant. Erit igitur vox iſta ſatis commoda ad locum præſentem, cum viſus etiam partim actione, partim paſſione perficiatur.

§. 8. Quemadmodum autem genuinum differentiæ officium eſt, ut & rem definitam conſtituat & eam ab aliis rebus diſcernat, hoc eſt, ut definitio ad aliam rem applicari nequeat, bene tamen ad omnes ſub definito contentas; ita videbimus an & noſtra definitio ita ſit comparata? Sic arbitror.

§. 9. Quodſi maxime *lucem* cum nonnullis nobis objicere, aut *figuram* velis, quaſi nimirum *lux* ſit qualitas patibilis prima, quæ viſum afficiat, color autem qualitas ſecunda, eaque remota, *figura* vero ſit qualitas ex terminatione quantitatis orta, ut figura triangula &c. quæ & ipſa viſu percipi poſſit, aut ſi etiam ad *formam* provoces, quaſi & iſta ſit qualitas ex varia diverſarum partium magnitudine, proportione & colore orta, quæ proportio quoque & magnitudo præter colorem viſu cognoſci queat, neque ſic tamen ſententiam mutarem.

§. 10. Nam quod *lucem* concernit, vel negarem, lucem eſſe diverſum quid a colore, *conf. infra* §. *26.* vel negarem potius, eam eſſe objectum viſus, ſed ſaltem medium eſſe aſſererem, quo mediante colores viſui præſententur. Quod vero *figuram* & *formam* attinet (quarum vulgarem differentiam, quod nempe illa ſit rerum inanimatarum, hæc animatarum, falſe ridet acutiſſimus & jucundiſſimus Galliæ ſatyricus *de MOLIERE dans le mariage force Scen. 4.*) dicerem, quamvis forte refragante communi Peripateticorum cœtu, non tamen refragan-

gante ratione, nec formam nec figuram ad qualitatem ſpectare, ſed eſſe mixtas ex qualitate & quantitate. Etſi ergo conſpiciamus proportionem aut magnitudinem rei, non tamen, quod tunc videmus, qualitas eſt, verum quantitas.

§. 11. At inquies, non omnis color viſu percipitur, deprehendimus quippe in hiſtoriis exempla, quamvis non ita frequentia, colorum a cœcis non viſu, ſed tactu perceptorum. Refert *Magnif. Dn. STRYKE de Jure ſenſuum Diſſert. 7. c. 1. n. 12.* in Marchia quondam Comitem de Lynar ex tactu colorem equi potuiſſe percontari. De Comite quodam Mansfeldico, quod ſolo tactu colorem album a nigro discernere potuerit ſimile exemplum refert *CASP. SCHOTTUS Phyſ. Curioſ. lib. 3. c. 33. §. 2. p. 489.* Quibus adde, quæ de cive quodam Belgico, Ultrajecti ad Moſam habitante, nomine Johanne Vermaeſen, ſeptem tænias diſtincte coloratas tactu dijudicante, prolixe narrat *BOYLE d. c. 3. n. 11. ſeq. pag. 50 ſeq.* Non itaque definitio tua omni colori applicari poterit.

§. 12. Imo, vero poterit, inquam ego. Nam quis dubitat, quin colores iſti a cœcis his tactu diſtincti ab aliis viſu fuerint percepti. Nec tamen propterea ſequetur etiam tactus mentionem in definitione coloris addi debuiſſe. Uti enim exempla iſta ſunt præternaturalia & rariſſima, ita ea in definitionibus rerum attendere non ſolemus. Accedit, quod nec accurate loquendo cœci illi tactu immediate colorem perceperint, ſed potius mediantibus qualitatibus tactilibus v. g. aſperitate, levitate, aut ſimilibus ad colorum diverſitatem argumentati ſint, *Conf. BOYLE d. l.*

§. 13. De cauſis coloris nihil addam, Lectorem potius ad Phyſicos & eos, qui de arte pictoria ſcripſerunt, remittens. *Confer SCHEFFERUM de arte pingendi §. 41. p. 156. ſeq. item § 59. p. 187.* ubi, quis colorum uſum in picturis primum excogitaverit, quique mixturam colorum in picturis primus invenerit, exponit. Pergo ad diviſiones.

§. 14. Ubi tamen prænoto, colorem, quamvis ſemper ſit accidens, prædicari tamen de ſubſtantia, cui inhæret vel in ſenſu *abſtracto*, & in caſu recto vel in ſenſu *concreto* aut in caſu obliquo. Illo modo prædicatur color iſte, qui exiſtit in idonea materia, ut liquore, ſuccove aut terra metallica, aut lapide, aut re alia hujusmodi, quæ in uſus

picturæ

picturæ possit accommodari. Quales vulgo propter coloris copiam, quam in se continent & communicare aliis possunt, simplici coloris nomine solent venire, sicuti ex Plinio, Ovidio, Cicerone, aliisque notum est. *Adde SCHEFFERUM d. l. §. 41. p. 155.* Hoc modo prædicatur tum de coloribus naturalibus, tum de artificialibus, si dicam v. g. hic homo est flavi, albi *coloris* &c. hæc vestis est *colorata colore* rubeo, albo, nigro &c. hæc pictura constat his vel illis *coloribus*, &c.

§. 15 Posses etiam hunc duplicem coloris conceptum, & forte melius ita distinguere, si dicas. Colorem vel prædicari de substantia *accidentaliter* vel *essentialiter*. Priori casu quatenus salva ejus essentia potest adesse vel abesse, ut color hominis, floris, corvi, &c. Posteriori quatenus est pars essentialis substantiæ, de qua prædicatur. Sunt autem partes essentiales, ut notum materia & forma. Ut *forma* prædicatur de liquore, succo &c. qui aptus est ad alias res colorandas. Consistit enim harum rerum essentia (quæ a forma dependet) certe respectu intellectus nostri, qui veras rerum formas nescit, in eo, ut sint coloratæ, unde etiam a colore tanquam a parte potiori denominantur in lingvis fere omnibus. Ut *materia* autem prædicatur v. g. de pictura colorata, cujus materia sunt tabula & color, forma coloris dispositio &c.

§. 16. Quamvis igitur divisiones colorum, quæ sequentur, pleræque possint applicari ad utrumque coloris conceptum, potissimum tamen huc spectat color ratione prædicationis essentialis a forma desumtæ.

§. 17. Ut ergo taceam 1. divisionem coloris in verum seu *realem*, qui v. g. est in panno, & *apparentem* qui in Iride &c. (cum & hæc divisio magis ad prædicationem accidentalem spectet, & ab iis, qui nullos colores pro realibus habent, *vid* §. 6. negetur, quanquam sine ratione sufficiente, quicquid etiam oponat *Boyle Exper. de color. cap. 4. p. 89.* & si vel maxime eam rejicerem, facerem potius cum *KIRCHERO Mund. Subterr. d. l. cap. 6. f. 15.* id agente, ut ostendat omnes colores esse veros, nullos apparentes.) dico 2. Colores ratione causæ efficientis vel *nativos* esse vel *factitios SCHEFFER. d l. §. 42. p. 157.*

§. 18. Ad *nativos*, qui scilicet producuntur a natura, referuntur ex *albis*, Cerussa Bleiweiß, Bolus albus, Fissile candidum Schiefer

ferweiß, ex *nigris*, creta nigra, ex *rubeis*, Cinnabaris, Zinnober, Minium, Sinopis, ſeu minium Cappadocium, Rubrica, Braunroth, Sanguis Draconis Drachenblut, Hematites Blutſtein, Bolus Armenus, rother Bolus, ex *flavis*, auripigmentum operment, gelb, Sandaracha rauſchgelb, Ochra plumbana bleygelb, Ochra vulgaris ogergelb, Gummi guttæ Guttegum, Umbra Umber oder braunoger, terra Colonienſis Cölniſche Erde, ex *cæruleis*, Cyprium ultramarin-blau, Lazurium laſurblau, Smaltum, Smeltze, Montanum Bergblau, Aſch-blau, Lacra; ex *viridibus*, Chryſocolla Berg-grün, herbacea fiſſilis Schiffer-grün, Creta viridis. SCHEFFER. *d. l.* §. 67. *uſque ad* 53. *p.* 164. *ſeq. Conf.* CHASSAN. *Catal. glor. mund. part.* 12. *conſid.* 93. *p. m.* 1034. quamvis aliis examinandum relinquam, quod hematiten inter colores nativos referat SCHEFFER. *p.* 166 cum tamen hoc lapide, quantum quidem mihi notum, ad alias res colorandas, non utamur. Dixerat autem SCHEFFERUS. *p.* 155. ſe colores conſideraturum eſſe, qui propter coloris copiam aliis rebus eandem communicent. Unde nec mirum, quod Plinius citatus a Scheffero *d. p.* 166. mentionem ejus inter cæteros colores non faciat.

§. 19. Factitiorum colorum qui nimirum arte quadam & ingenio humano conficiuntur, fere ſunt infiniti. *Vide pluribus* SCHEFFERUM. §. 53. *p.* 170. *ſeqq. & tractatum germanicum, cui titulus*, der Curioſe Mahler, *editum Dresdæ* 1676. *fere per integrum, item de arte colorandi vitra* ANTONII NERI *librum de arte vitraria.* Meminit etiam SCHEFFER. *d. l. p.* 175. Indici, de quo ita ſcribit: *Sequitur* Indicum, *in magno pretio apud veteres, ut ex Plinio cognoſcimus. Ruellius glaſto ſeu Iſatide herba, quam & Pastillam, noſtri* Waid *appellant, fieri affirmat contuſa, ſuccoque cocto & cæruleo innatante, ferventibus catinis, exempto ſiccatoque.* Differre tamen *Indicum* & *Iſatidem*, Indigo und Waid, certe temporibus noſtris, oſtendet *infra cap.* 2. §. 85. Et hoc meminerimus: Atramentum eſſe inter colores factitios, teſte Plinio apud Schefferum §. 48. *p.* 165.

§. 20. Poterit autem hæc coloris diviſio quoque ad colorem, qui accidentaliter prædicatur, applicari, ſi modo appelles colorem nativum, qui a natura rei ineſt, ut rubor nativus in facie &c. & factitium, qui arte producitur, ut rubor, ex fuco. In hac ſignificatione factitius color in

Jure Romano appellatur versicolor. *vid. l.* 70. §. 12. *de Legatis* 3. ubi nativi colores lanæ opponuntur versicoloribus in lana tincta, quod nimirum nativus color per artem versus fuerit in alium. *vid. Gloss. ad d. l.* 70. §. 12.

§. 21. 3. A materia colores dividuntur SCHEFFERO § 43. *p.* 158. in *simplices* & *mixtos*. *Simplices* vocat quasi primos elementaresque, ex quibus reliqui componantur, neque ipsi mixtura ulla possint fieri, quia genere toto a se mutuo differant. Ex qua descriptione facile colligi potest, quid sint colores *mixti*.

§. 22. Hic initio illud noto, parum convenire hanc Schefferi divisionem cum definitione coloris in genere, quam retulimus §. 2. Si enim color est lucis umbræque mistura, nullus erit color simplex, sed omnes erunt mixti. Aut, si dabuntur colores simplices, quod verius videtur, definitio ista non adeo magni erit momenti. Sed si fatendum, quod res est, quamvis Schefferus asserat *p.* 55. eam ab Aristotele tradi, aliud tamen ostendit ipse Aristotelis, (vel potius, ut notavit Scaliger *de subtil. exerc.* 325. Theophrasti) libellus de coloribus, in quo postquam Philosophus *cap.* 1. (utor interpretatione Cœlii Calcagnini *Tom.* 4. *Physico pag. m.* 122. *seqq.*) simplices colores definivisse, qui elementorum naturam consequuntur, ignis puta, aëris, aquæ, terræ, aërique & aquæ album, igni & soli flavum, terræ vero modo album, modo nigrum attribuisset, *capite* 2. vero reliquos ex horum temperamento fieri, dixisset, prout nempe major minorque fuerit admixtio, & exempli loco, puniceum, purpureum & fuscum &c. attulisset, tunc *cap.* 3. ita inchoat: *At illud neminem latere debet, multiformem & infinitam illam colorum multitudinem, quot modis fieri contingat. Ejus rei hanc causam observavimus, quod a luce & umbris inæquales, & sine ratione fiant temperaturæ. Nam lux & umbræ secundum plus & minus varias invehunt differentias, ut primo secundum seipsas, mox admistæ coloribus colorum commutationes efficiant &c.* Ex quibus verbis patet, Schefferum in tradenda coloris definitione Philosophi locum habuisse præ oculis, Philosophrum vero nequaquam ibi de colore in genere, sed de colore mixto in specie agere, imo nec ex sola lucis & umbræ mixtura, sed & ex earum mixtura cum coloribus (qui hoc modo lucis & umbræ mixturæ contradistinguuntur) alios oriri colores asserere.

§ 23.

§. 23. Ex dictis simul patet, in descriptione quoque colorum simplicium inter Schefferum & Stagiritam aliquam, etsi non adeo magnam esse discrepantiam, qua tamen relicta putamus recte se habere definitionem Schefferi, modo jam de speciebus eorum, & quinam colores præcise ad simplices sint referendi, constaret.

§. 24. Aperit enim se hic novus scriptorum dissensus distincte expositus ab ipso SCHEFFERO §. 44. *p.* 158. *seqq.* ubi potissimum Leonis Baptistæ opinionem, viridem & cinereum colorem simplicibus adscribentem, tum & Demontiosi sententiam, luteum inter mixtos referentem (quasi nimirum ex viridi & rubro producatur) refutat. Utinam vero Schefferus, utpote artis pictoriæ, adeoque doctrinæ de colorum mixtura gnarissimus (*vid. ejus præfat. in libr. de arte pingendi*) quam felix est in refutandis aliorum opinionibus, tam perspicuus etiam fuisset in propositione sententiæ propriæ de numero colorum simplicium. Ita enim inquit *d* §. 14. *Simplices colores numero sunt tres: Rubeus, cæruleus & flavus. Et sociabiles cunctis, lux, id est albus, & umbra, id est niger.*

§. 25. Pauca verba retuli, totidem fere ambiguitatibus scatentia. Nam 1. lucem & umbram *p.* 155. dixerat esse fundamenta omnium colorum, dicto autem §. 44. eos pro coloribus specialibus, albo nimirum & nigro, habet. 2. parum cohæret dicta definitio coloris *p.* 155. cum eo quod rubeum, cæruleum & flavum hic simplicibus annumerat. Nam si & hi ex luce & umbra misti sunt, non erunt simplices: si non, falsa erit coloris dicta descriptio. 3. Nescias etiam an lux & umbra ex ejus mente colores sint. Etsi enim id suadeant verba §. præcedenti descripta, rursus tamen dissuadet quod ibidem tres saltem colores simplices asserat. Accedit quod expresse addat: *Quod autem album atrumque omittimus* (in recensione simplicium. At quæ omissio, cum eosdem apposuerit) *in eo sequimur Leonem Baptistam, qui & ipse non in numero colorum refert, verum alterum luminis, alterum umbræ dicit habere rationem, quorum deinde adjectione colores innumeri oriantur. Verba ejus hæc sunt Lib. I. de pictura. Crescente umbra coloris claritas & albedo deficit, lumine vero insurgente clarescit & fit candidior. Ergo pictori satis persuaderi potest, album & nigrum minime esse veros, sed colorum, ut ita dicam, alteratores.*

Idem §. 46. *p.* 163. repetit tantum tres esse simplices colores, & cum eis album & nigrum, attamen §. 62 *p.* 190. expresse candidum (seu album) inter floridos colores refert. Plura dubia ex ejus assertione oriunda jam proferre supersedemus.

§. 26. Quæ omnia ex falsis hypothesibus originem traxisse mihi videntur: 1.) Quod putaverit colorem in genere esse lucis umbræque mixturam &, quæ ex priori videtur fluxisse; 2.) Quod album & nigrum, quæ male pro luce & umbra habuit, non sint colores. Primi erroris fontem jam tetigimus §. 22. Posterioris falsitatem facile potuisset deprehendere, si sibi non a Leone Baptista aliquid imponi patiens doctrinam Philosophi *c.* 1. *de coloribus* umbram a colore nigro satis distingentis, retinuisset. Similis etiam distinctio est inter colorem album & lucem, quamvis de his Theophrastus d. l. paululum obscurus sit. Conf. KIRCHER *Mund. subterr. lib.* 8. *sect.* 1. *c.* 5. *f. m.* 9. *b.*

§. 27. Nihil ergo obstat, cur non asseramus, *quinque* colores simplices dari, (1) *album* (2) *nigrum* (3) *rubeum* (4) *cæruleum* (5) *flavum*. Schefferi enim experientiæ, ob rationem §. 20. datam, tamdiu credimus, donec alius nobis ostendat contrarium. Confirmat nos in opinione nostra Kircherus, qui *in Mund. subt. d. l. c.* 4. *fol.* 10. & 14. eosdem quinque colores principales recenset, quanquam nesciam, cur *d. f.* 10. paulo ante omisso colore cæruleo certum esse asserat, hypostasin colorum esse *quatuor* principales, album & nigrum, flavum & puniceum, cum tamen statim paulo post & *d. f.* 14. per cærulei additionem numerum augeat.

§. 28. De *mixtis* jam facile judicari potest, quos recte subdividit Schefferus §. 45. in *principales* & *secundarios*: Hos, missis eis, quæ ex præfatis erroneis hypothesibus ipse ibidem tradit, ita circumscribimus: *Principales* oriuntur ex mixtione quinque simplicium inter se. *Secundarii* ex mixtione vel simplicium cum mixtis principalibus vel mixtorum principalium inter se, vel utrorumque cum iis, qui ex præcedentibus mixtionum generibus orti sunt, vel etiam horum ex præcedentibus mixtionibus ortorum inter se.

§. 29. Ex quibus facile patet *secundarios* esse infinitos, *principales* vero potissimum decem. Si enim præfatos quinque colores simplices diversimode ordines, decem evadent paria, quæ totidem dabunt colores mixtos principales. (1) Album & nigrum producit colorem

fu-

fuſcum vel ſubcinereum (2) Ex albo & rubro fit *incarnatus* (3) Ex albo & cœruleo *cinereus* 4) Ex albo & flavo *ſubalbus* (5) Ex nigro & rubro *ſubrubeus* (6) Ex nigro & cœruleo *ſubcoeruleus* (7) Ex nigro & flavo *ſubfuſcus* (8) Ex rubro & cœruleo *purpureus* (9) Ex rubro & flavo *aureus* (10) Ex cœruleo & flavo *viridis.*

§. 30. Conſentit fere nobiſcum Schefferus, niſi quod §. 45. ex nigro & flavo fuſcum oriri ſtatuat, & mixturæ albi & nigri plane obliviſcatur, adeoque novem ſaltem colores recenſeat, forte ut hypotheſi inſerviret, album & nigrum non eſſe colores, quia non inter ſe miſceantur, ut reliqui tres colores ſimplices, ſed ſaltem ſint coloribus ſimplicibus ſociabiles. *Conf. eundem* §. 44. *p.* 158 161. *&* §. 45. *p.* 163. Cum tamen experientia teſtetur, miſceri poſſe colorem album & nigrum, maluimus Theophraſtum hac in parte ſequi, qui *cap.* 2. *de coloribus* ex miſtione albi & nigri oriri medium illud, quod φαιὸν Græci appellant, adſerit, Cœlius Calcagninus autem *pullum & fuſcum* (quamvis quod τὸ *pullum* attinet id male cum fuſco videatur jungi. Idem enim eſt pullus color cum nigro, at fuſcus denotat Braun) interpretatus eſt. Et probabimus hanc opinionem ex ipſo etiam Scheffero. Si enim ex mixtione nigri cum flavo oritur fuſcus & ex albo cum flavo ſubalbus, ſequetur ſua ſponte, quod & ex albo cum nigro commixto oriatur fuſcus, qui plus luminis habeat, quam qui ex mixtione nigri & flavi producitur, unde & hunc potius ſubfuſcum appellavimus. Contradicit equidem ſententiæ noſtræ Demontioſus apud eundem Schefferum §. 44. *p.* 161. ex albo & nigro cineraceum colorem fieri affirmans. (cum quo colore cineraceo puto eundem eſſe colorem aquileum, mixtum ex albo & nigro, cujus mentionem ex *Boethio* facit DIETH. *addit. ad Beſold. Theſaur. Pract. voc.* Farben *f. m.* 251. Sed ſalva res eſt. Nihil enim obſtat, quo minus dicamus pro diverſitate mixturæ modo cineraceum oriri, ſi nempe excedat albus nigrum, modo fuſcum, ſi prævaleat niger color. Quippe cineraceus & fuſcus ſatis affines ſunt, niſi quod ille plus lucis, hic plus umbræ habeat. At, inquies, ita obſtabit §. 29. *præcedens*, cinereum ex albo atque cœruleo produci cum Scheffero tradens, imo vero non, reſpondebo, ſimili argumento convenientiam oſtendens. Si enim ex nigro & cœruleo fit ſubcœruleus, & ex albo atque cœruleo cinereus, etiam ex albo & nigro fiet cinereus, vel potius ſubcinereus. Neceſſe eſt enim hunc cinerum plus umbræ habere,

quam illum, qui ex mixtione albi & cœrulei nascitur. Et hæc forte est ratio, cur Schefferus *p.* 161. Leoni Baptistæ hac in parte non contradicat, cum tamen reliquas ejus positiones ibidem refutet.

§. 31. Forte & illa conjectura a veritate non aberrabit, si dicas Schefferum præ oculis habuisse Kircherum, qui *in arte magna Lucis & umbræ lib.* 1 *part.* 3. *cap.* 2. *f.* 67. eandem combinationem quinque præfatorum colorum recenset, ac colorem ex albo & nigro mixtum omittit. Idem tamen Kircherus *in Mund. subterr. d. l.* 8. *f.* 14. ex Albo & Nigro Cineritium oriri statuit, quamvis & ibi non admittere velit, ullum alium quam cineritium exinde gigni, quicquid etiam Peripatetici nonnulli dicant. Nos autem his non obstantibus (si per Peripateticorum dissensum intelligit Kircherus sententiam de colore fusco) facile ex ipsis Kircheri verbis *d. l. f.* 14 *& f.* 10. veritatem sententiæ Aristotelicæ demonstrari posse opinamur. Admittit enim Kircherus nigrum & album inter se mixtos pro diversitate mixtionis semper *subalbidum* quiddam aut *subnigrum* quiddam obscurum producere, usquedum totus albus color in manifestam nigredinem, vel niger totus in albedinem convertatur. Igitur uti *subalbidum* colorem, quem vocat Kircherus, est *cinereus*, ita, quem *subnigrum* vocat, commode possumus per *fuscum* explicare, cum inter omnes colores fuscum propinquissime ad nigrum colorem accedere oculorum docet experientia. Ubi tamen adhuc illud obiter observes velim, ex omnibus illis mixtis coloribus nullum esse, qui specie differat a reliquis quinque, excepto viridi ex flavo & cœruleo orto, qui propterea tanquam ex coloribus maxime intermediis constitutos omnium nobilissimus esse, eumque unicum natura, ad hominum animaliumque recreationem intendisse videtur. KIRCHER. *Mund. subterr. d. l. f.* 14.

§. 32. BOYLE *Exper. de color. c.* 3. 5. 11. *p.* 53. de cœco, tactu colores discernente, loquens, inter alia sic fatur. *Exinde doctorem se instruxisse in diem posterum septem portionibus, taniarum septem hisce coloribus tinctarum, nigro, albo, cœruleo, viridi, flavo & cæsio, sed quod colores mixtos hunc Vermaasium ipsorum discriminationem noluisse suscipere, quamvis si offerrentur indicaret eos mixtos esse.* Unde colligo Boyle septem istos colores pro simplicibus habere. Sed de viridi jam respon-

ſpondit Schefferus Leoni Baptiſtæ *p.* 160. *Conf.* §. 29. De cæſio vero ſic tene, eum colorem ſimplicem haut eſſe, ſed ſpeciem cœrulei ſignificat enim cæſius Himmelblau. Diceremque eundemque oriri ex mixtione albi cum cœruleo, cui non obeſt, quod §. 29. aſſeruerim, ex horum mixtura oriri cinereum. Nam ad hoc dubium illud reſponderi poteſt. Si plus cœrulei ſit in mixtura quam albi, cæſium fieri, ſi vero plus albi quam cœrulei, cinereum. Plures de numero colorum ſimplicium opiniones collegit Höpping. *de Jur. Inſign. Cap.* 9. §. 3. *membr.* 2. *n.* 449. *f.* 650. *Conf. infra* § 34.

§. 33. Ut, quæ hactenus dixi, uno intuitu appareant, appono ſchema mixturæ ex Kircheri *Arte magna Lucis & Mundo ſubterr. dd. LL.* paulisper tamen ad noſtram hypotheſin accommodatum:



§. 34. Pergerem ad alias colorum diviſiones, ſecundum quas dividuntur 4. a præparatione ad uſum picturæ (quamvis forte & nativi ita poſſint ſubdividi) in *humidos & ſiccos*, & illi in aqua vel oleo ſubactos: hi vero in gypſatos vel lanuginatos, *vid.* SCHEFFERUM

d. l.

d. l. §. 23. *p.* 79. *&* § 54. *seqq. p.* 177. *seqq.* Item 5. ab appropinquatione ad albedinem, aut nigredinem, vel potius ad lucem & umbram in *nobiliores*, qui multum lucis habent (Schefferus eos nominat hilares §. 62. *p.* 189.) & *ignobiliores*, qui multum umbræ. HOPPING. *de Insign. Cap.* 9. §. 3. *membr.* 2. *n.* 453. *f.* 650. Sed cum præter opinionem diutius forte quam debebam, meditationibus Philosophicis incubuerim, filum abrumpere licebit, & ne tædium Lectori benevolo parem, Juridici quippiam a me exspectanti, ad alteram tituli nostri vocem pergere, si saltem illud adhuc monuero, vocari ab Höpping. *d. l. n.* 449. colores nobiliores etiam *principaliores* seu principales, variasque de numero principalium colorum ibidem referri opiniones. Si vero accuratius dissensum scriptorum ibi citatorum de præfato numero quis perpendat, apparebit eos per colores principales non intelligere, quos Höpping. vocat nobiliores; (Referunt enim ad hos principales cœruleum, & nigrum, umbræ tamen maxime appropinquantes) sed simplices, spectabitque adeo ista sententiarum discrepantia supra ad § 32.

§. 35. De colore igitur non solum tractationem sibi vindicat Philosophus, quod argumentum egregie tractavit Kircherus *in Mundo subterr. lib.* 8. *sect.* 1. *Cap.* 5. *&* 6. *f.* 8. *seq. & in Arte magna lucis & umbræ lib.* 1. *part.* 3. *f.* 65. *seqq.* cui jungi meretur Boyle *tract. integr. de color. experim.* & Scaliger *de subtilit. exerc.* 325. *Conf.* GELL. *Noct. Attic. l. c.* 26. *&* ANTON. THYLESII *libellum de coloribus non quidem a nobis visum, sed commendatum tamen a* PHILIPPO CAROLI *ad d. l. Gellii.* Sed & Medicus ex colore faciei, urinæ, vulnerum, plantarum & aliarum rerum varias conjecturas sibi sumit ad conservandam sanitatem atque expellendos morbos conducentes. Imo quandoque colore pro medicamento utitur, si verum est, quod ex Catalano refert DIETH. *ad Besold. Thesaur. Pract. voc.* Farben *f. m.* 251. An in Theologia color proprie dictus usum quempiam habeat aliis discutiendum linquo. Hoc certum est, & ex discendis apparebit, in Jurisprudentia nostra non una occurrere, ad quæ colores varii atque diversi, non parvum afferunt momentum. Dicemus ergo de Jure Colorum, hoc est, quid justum sit circa colores, vel colorum occasione. Justi autem voce hic in sensu mixto utor, negante tamen magis quam ajente. *Vide* GROT. *de J. B. & P. l.* 1. *c.* 1. §. 3.

CAP.

CAPUT II.

Usus coloris in diversis hominum statibus.

SUMMARIA.

Jus hominum pro diversitate status variat. §. 36. Status hominum est socialis, societas vero triplex. §. 37. (I.) Gentium §. 38. Coloribus integræ gentes distinctæ §. 39. & quidem coloribus facierum §. 40. crinium & oculorum §. 41. 42 Gentium varia judicia de coloribus §. 43. (II.) Civilis §. 44. In hac imperantes delectati colore purpureo §. 45. & albo §. 46. Inter parentes considerandus color Legatorum §. 47. libertarum & matronarum Romanarum §. 48. 49. Monachorum, Advocatorum, §. 50. diversarum hominis ætatum §. 51. personarum lugentium §. 52 quatuor factionum in Ludis Circensibus §. 53. Pilei rubri Cardinalium §. 54. Pilei violacei & rubri Doctorum Theologiæ & Juris §. 55. Pilei decoctorum §. 56. Pallium purpureum Cardinalium §. 57 & Rectorum Academicorum §. 58. violaceum Prælatorum §. 59. candidum Archi Episcoporum §. 60. flavum Præsidis in Hispania §. 61. Toga candida §. 62. Calcei rubri Pontificum §. 63. Color diversus in equitum Crucibus §. 64. & Fasciis § 65. Color divisiarum §. 66. 67. Prohibiti colores vestimentorum §. 68. Judæorum circuli flavi §. 69. Sellæ rubeæ, & nigræ &c. §. 70 Color Scripturæ § 71. Cera varii coloris in sigillis adhibita §. 72. Usus colorum in insignibus in genere §. 73. Inspecie in Insign. Austriacis, Saxonicis, Brandenburgicis, Lipsiensibus & Adami §. 74. in Insignibus cauponum §. 75. 76. 77. 78. (III.) Domestica ubi de notis genitivis §. 79. Usus coloris in statu subsidiario belli §. 80. Usus coloris essentialis (Præfectus atramenti) §. 81 tam materialis quam formalis §. 82. De tinctoribus §. 83. 84. 85. 86. 87. De pictoribus §. 88. 89. 90. De jure imaginum §. 91.

§. 36.

HOminum Jus pro diversitate status eorum, & ipsum variare nota est JCtis regula, unde nec melius Jus hominum cognosci poterit, nisi prius probe perspecta status diversitate. Indicare hoc voluit Tribonianus, dum Pandectarum titulum de Jure Personarum tractantem quique titulo Institutionum de *Jure Personarum* respondet *de statu hominum* inscripsit. Non itaque errabimus puto, si in præsenti capite potissimum ostenderimus, an momentum aliquod in statu hominum afferant colores?

§. 37. Percurrere vero in præsenti placet ſtatus humanos ſecundum diverſas ſocietatum ſpecies. Uti enim extra ſocietatem nullum jus eſt ita nec ſtatus. Societatum autem humanarum (nam etſi hominem in ſtatu ſocietatis divinæ conſideres, exinde tamen nullum jus naſcitur homini, ſed ſola obligatio *per ea, quæ deduxit Dn. Præſes in Philoſoph. Juris* §. 25. *ſeq.* neque ad obligationem hanc quicquam confert color) tres ſunt præcipuæ, civili major, civilis, & civili anguſtior ſeu domeſtica.

§. 38. Societas civili major nulla eſt alia, quam ſocietas omnium in univerſum hominum pacate viventium, quæ hodie, poſtquam genus humanum in diverſas civitates diſtributum eſt, ſocietas gentium dicitur, inque ea non ſolum ſinguli homines diverſarum gentium ad ſe invicem relati, ſed & ob unionem civilis ſocietatis ſingulæ gentes perſonarum moralium vices ſuſtinent.

§. 39. Vetuſtiſſimam eſſe tum *Colorum*, tum diſſectionum, pictorumque animalium, plantarum & infinitarum rerum aliarum formis aliave geſtaminis adjectione integros *Populos* ac Gentes diſcernere ex Pierio Fabronio ac Garzonio notat Höpping. *de Jure Inſign. cap. 9. §. 3. membr. 2 n. 441. f. 648.* additque Græcos frequenter *ruſſatis*, Carthaginenſes *albis*, Corinthios *rubris* uſos eſſe coloribus, de Germanis memorat *TACITUS c. 6. de morib. Germ.* Scuta eorum nullo alio cultu nitere, quam ut variis *coloribus* diſtincta ſint. Sed cum hæc magis ad ſtatum belli ſpectent, quam ad ſocietatem gentium *vid. infra* §. 80. potius hic notari meretur; Gentes & olim & hodie colore corporis, faciei, aut capillorum a ſe diſtinctas fuiſſe.

§. 40. Colorati enim vultus, id eſt *fuſci* aduſtioris coloris prædicantur de Hiſpanis, propter æſtus. At contra Gallia vicino minus eſt infecta rubore. Æthiopes, *ab uſta facie*, ἀπὸ τῦ καίειν καὶ ὤψ, & ab *obſcuritate coloris* ἀπὸ τῦ μαυρὸς Mauri ſecundum nonnullos denominati ſunt. His opponi videas paſſim a Scriptoribus *albos*, per quos intelliguntur in genere omnes ſeptentrionales Europæi. In ſpecie Gallos ἀπὸ τῦ γάλα i. e. lac ac albedo, ſive γάλακτος candor ab antiquis Galatos vel Galatas fuiſſe nominatos quidam putarunt, Livium in ſubſidium vocantes atteſtantem, Gallorum ſive Gallo-Græcorum corpora candida fuiſſe. *vide* DIETHERR. *Beſold. contin. voc.* Mohren *f. m. 410.*

§. 41.

§. 41. *Crines* autem & *oculos* quod attinet, notum eſt Taciti de Veteribus Germanis teſtimonium *c. 4. de morib. Germ. Habitus corporum quanquam in tanto hominum numero idem omnibus, truces & cærulei oculi, rutilæ comæ &c.* Rutilus color quanquam communiter ſoleat explicari, quod idem ſit ac ruffus, *vid. FABRUM voc. rutilus*, in præſenti tamen materia rectius videtur explicaſſe *LIPSIUS ad d. c. 4. Taciti p. m.* 544. quod denotet comas *flavas*, ſeu colore auri tinctas, Goldgelb; Hic enim color ſuo modo ad colorem ruffum inclinat, idque ex collatis cum Tacito Silii, Senecæ, Martialis, aliorum locis illuſtrat Lipſius. *Conf. CONRING. de habit. corp. german. cauſ. p. 18.* Proprius hanc ſententiam probant verſus *LUCANI.*

\- - - - *tam* flavos *gerit altera crines.*
Ut nullas Cæſar Rheni ſe dicat in arvis
Tam rutilas *vidiſſe comas.*

& alia ex Feſto Anieno atque Auſonio deſumti, quos adducit *HÖPPING de Jure Inſign. c. 18. §. 9. n. 183. f. m. 911.* Et diſerte Juvenalis Satyra V.

Cœrula *quis ſtupuit Germani lumina*, flavam
Cæſariem & madido torquentis cornua cirro.

Neque hic color rutilus a natura tantum, ſed & ab arte: quia veteres Germanos lavaſſe crines & medicamento hoc eſt ſapo rutilaſſe docet *LIPSIUS d. l.* Unde & Caligula proceriſſimum quemque e Gallis ad Germanicum triumphum legit coëgitque *rutilare* & ſubmittere comam, ut eo melius Germanos repræſentare poſſent *notante SUETONIO in vit. Calig. c. 47.* Danos quod & Suecos ultra mare Suedicum regiones Gothicas occupantes fere capillo *rubere*, cæteros *flaveſcere* obſervavit *BODINUS de Rep. l. 5. c. 1. p. 773.*

§. 42. Quæ differentia non parvum in reipſa fundamentum habere viſum fuit ſcriptoribus, in tantum, ut a colore crinium atque facierum de origine gentis conjecturas ſumſerint. De Britannis enim idem *TACITUS in Vita Agricolæ c. 11. Namque* rutilæ, inquit, *Caledoniam habitantium comæ, magni artus Germanicam originem aſſeverant. Silurum* colorati *vultus (vid. §. 40.) & torti plerumque crines & poſitu contra Hiſpaniam.* Item Angli eos, qui crine *rubent* a Norvegis & Suecis originem traxiſſe putant. *BODIN. d. l.* Quænam vero ſit ratio variationis colorum in faciebus humanis, Phyſicis inquirendum relinquimus, interea albis dentibus ridentes ſomnium Mahumetis, cauſam hanc pro-

proferentis, quod primus homo ex pufillo pulveris diſcoloris formatus ſit, *vid. KROMAYER. ſcrut. relig. p.* 112. 345. Subtilius & verius de cauſa cœrulei & flavi coloris in oculis ac crinibus veterum Germanorum differit Conringius *in eruditiſſimo libello de habit. corp. Germ. cauſis p.* 114. *ſeq.*

§. 43. Neque omittenda Gentium ipſarum de colorum ſpeciebus varia atque diverſa judicia. *Albo* colorie inſigniter delectantur Galliæ Reges, & antiquitus etiam nonnullæ gentes aliæ, præprimis Romanæ. *Purpureus* color apud Romanos olim in aliquo honore, ſucceſſu temporis ſumme honoratus erat, tempore vero Leonis & Tiberii junioris aliquid iterum de honore ejus remiſſum eſt. *Niger* color apud pleraſque gentes pro funeſto atque infeſto habetur. Eum apud *Romanos* ii tantum adhibebant, qui clade quadam afflicti erant, ſemperque luctui, funeribus funebribuſque officiis dicari ſolebat, in tantum, ut & diis inferis veſtes atræ & victimæ nigræ datæ fuerint, atque ex veſtibus nigris *aliquando* præſagium mortis ſumtum. *vid. DEMSTERUM paralip. ad oſin. Antiq. l. 4. c. 9. p. 279. ſeqq.* Domitiani lugubre convivium, in quo omnia nigro colore imbuta erant, ex hiſtoria Romana ſatis notum. *Carthaginenſes*, referente Diodoro Siculo, inſigni clade civium præſtantiſſimorum affecti, ſoliti fuerunt muros civitatis nigro panno circumdare. *LIMN. de jure Publ. II.* 12. 10. Imo & apud *Turcas* nemo nigro amictu veſtitus prodit, niſi inſigni ærumna vel luctu aut alia quadam gravi neceſſitate prematur. Unde & *BUSBEQU. Epiſt.* 1. *Leg. Turc. p.* 66. narrat, Baſſas aliquando, cum veſte nigra ipſos accederet, miratos & ſerio ea propter conqueſtos fuiſſe *conf. FRANCISCI* Luſt. Schaubüne *Part.* 1. erſt. Verſaml. *p. m.* 167. At in *Hiſpania* res longe ſe habet aliter, moris quippe eſt ibi, ut nigris veſtibus indutum eſſe oporteat, qui cum Rege loqui velit, ipſique Legati Principum tali veſtimento ſe ſubmittere debent. *Dn. BECMANN. Notit. Dignit. Illuſtr. diſſert.* 6. *cap.* 2. *th.* 10. *p. m.* 173. Similiter & apud *Japanenſes* color niger viris honoratioribus eſt proprius, eine Herrenfarbe. *FRANCISCI d. l.* Colorem *viridem* in ſummo pretio *Turcæ* habent eoque nemo utitur, niſi qui ſunt de ſtemmate Mahometi *LIMN. de jur. Publ. l.* 2. *c.* 6. *n.* 116. *FRANCISCI. d. l.* Parimodo viridem ſeu praſinum colorem *a Græcis* imperatoribus etiam magni ſemper fuiſſe habitum ex Schickardo obſervat *Magnific. Dn. ZIEGLERUS de Jur. Majeſt. l.* 2. *c.* 21. §. 14. *p.* 1167. *Flavus* color apud non paucas gentes pro abjecto fuit habi-

tus,

tus, oſtendetque id non unum exempluminfra proponendum. At apud *Chinenſes* eſt color regius cæteriſque omnibus interdictus. *Dn. BECMAN. d. l. c.* 1. §. 156. Similiter Antoninus Caracalla Imperator Romanus ad imitationem habitus Germanici flavam capiti cæſariem impoſuit. *CONRING. de hab. corp. germ. cauſ. p. m.* 17. *CURTIUS l.* 3. *c* 3. inter colores Perſarum regios recenſet *cæruleum* (an recte diſquirit *Dn. BECMAN. d. l.*) Idem tamen color olim a matronis Romanis tempore luctus fuit uſurpatus. *RUPERTUS ad Val. Max l.* 2. *c.* 1. *diſſert.* 1. §. 2. *p.* 114. Sic & apud Perſas, nobiles in veſtitu cœruleo lugent. *FRANCISCI d. l.* Apud nos fere contemptim habetur, unde vox injurioſa ein Blauſtrumpff ꝛc. Plura occurrent in ſequentibus obſervanda. *Vid. interim Dn. BECM. d. c.* 1. §. 4. 5 6. 7. 8.

§. 44. Poſt ſocietatem Gentium ſocietas Civilis eſt omnium perfectiſſima, neque ulla eſt actio hominis externa, quæ non ad hanc ſocietatem aut per ſe ſpectet aut & circumſtantiis ſpectare poſſit. *GROT. de J. B. & P. L.* 2. *c.* 5. §. 23. Complectitur autem ea ſub ſe ordinem imperantium & parentium.

§. 45. Imperantes ad oſtendendam majeſtatem, vario etiam pro Rerumpublicarum ac temporum varietate uſos fuiſſe colore oſtendi ſummatim §. 43. & fuſius *Dn. BECM. loco ibid. citato. Purpura* in primo Monarchiæ tempore imperatoribus vindicata. *Nero* enim *interdixit uſum amethyſtini* (id eſt purpurpurei violacei, *vid. FABR. Theſ. voc. amethyſtinus, Dn. BECM. d. l.* §. 5. *p.* 154.) *& Tyrii coloris, ſubmiſitque, qui nundinarum die pauculas uncias venderet, quo facto præcluſit omnes negotiatores. Quin etiam inter canendum animadverſam matronam e ſpectaculis vetita purpura cultam, demonſtraſſe procuratoribus ſuis creditur, detractamque illico non veſte modo, ſed & bonis exuit. SUETON. in vita Neronis c.* 32. Unde probabile eſt, ſubſecutis temporibus chlamydem purpuream inſigne imperii Romani factam fuiſſe, qua potiſſimum milites in creatione imperatorum uſos fuiſſe docent Eutropius, Herodianus & Hiſtoriæ Auguſtæ ſcriptores paſſim. Spectat huc *totus tit. C. de Veſtibus Holoberis* (id eſt totis purpureis non totis ſericis, ut recte contra Gothofredum, & alios explicat, *DN. BECM. d. l.* §. 4. *p.* 153.) item *l.* 6. *C. de diverſ. & tempor. reſcript.*

§. 46. In republica libera & ante Neronem, etiam *Albus* Color inſigne imperii fuit. Nam cum Pompejus faſciam candidam gereret,

regnum affectare creditus fuit. *SUETON. in vita Cæsar.* Et in triumpho potissimum usitatum, ut currus triumphantis & vestis & equi & pueri ad habenas colore albo fulgerent. (In festis vero nonnullis omnes indistincte candido amictu spectati) *DEMPSTER. ad Rosin. l.* 4. *c.* 9. *p. m.* 280. *seq.* Huc spectat etiam vestis candida jussu Herodis Servatori nostro data. *Luc.* XXIII. 11. In aula Anglicana adhuc hodie regibus in signum Majestatis suæ albi baculi præferuntur a Ministro rei œconomicæ, qui inde peculiare nomen officiariorum albi baculi *the Officiers off the White Staf* accipiunt. *DN. BECMAN. de dignit. illustr. diss.* 6. *c.* 2. §. 9. *p.* 173. Conf. quæ de Cardinalibus disserit Sprenger. *instit. jur. publ. l.* 2. *c.* 35. *p.* 310. Cur Galliæ Regibus hic color in deliciis sit, ex Miraumont, exponit *LIMN. de Jur. Publ. l.* 11. 31. factum id esse tradens in memoriam, quod columba alba sacrum oleum cœlo detulerit. Et hinc non solum elegerunt sibi lilium inter flores candidissimum, sed & in bellicis expeditionibus utuntur vexillis tæniisque albis, prohibitumque fuit Anno 1551. d. 11. Febr. sub pœna amputandæ manus, ut nemo exceptis metatoribus regiis utatur creta alba. Et notatu certe non est indignum, quod Carolum V. Imperatorem, Lutetiam Parisiorum ingredientem Galliæ Rex Franciscus, prolixis honoris signis quidem prosecutus fuerit, atro tamen equo, quo in ingressu veheretur, donaverit, cum ipse solus equo albo insideret, quod factum non immerito pro consuetæ æmulationis parte habet *Dn. BECMANN. d. l. c.* 1. §. 6. *p.* 156. Nec abludit, quod nobis retulerunt novellæ præcedentis anni de dato Parisiis d. 30. Augusti. Es ist merckwürdig. daß des jüngern Hertzogs von Burgundien Zimmer nicht mit weissen Damast (gleichwie denen Printzen von Franckreich zu geschehen pfleget) sondern Carmesinfarben behangen, forte quod in insignibus Burgundiacis color iste deprehendatur. *vide SPENER. Oper. Herald. part. spec. l.* 1. *c.* 9. §. 34. *f.* 54. *c.* 24. §. 35. *f.* 119. *c.* 38. §. 32. *seq. f.* 176. *seq. &.* 64. *f.* 196.

§. 47. Inter subditos potissimum eminent *Legati*, personam Principis gerentes. His ad consolandum missis pullam i. e *nigram*, ad gratulandum vero *candidam* vestem dari solitam tradit *HÖPPING. de Jur. Insign. cap.* 9. §. 3. *membr.* 2. *n.* 454. *p.* 651. quæ tamen observatio limitationem patietur ex dictis §. 43.

§. 48. Hos sequatur *sexus fœmineus.* Olim inter *libertas & matronas* Romanas inter alia hæc erat differentia, quod color cæruleus, galbineus

bineus, undulatus, croceus, myrteus, amethyſtinus, rhodinus vel roſeus, gruinus, caſtaneus, amygdalinus. cerinus aliique ex variis herbis tincturæ aptis libertinarum atque aliarum mulierum infimi loci atque ordinis veſtibus erant deſtinati: at matronæ purpureas veſtes, (ante tempora Neronis ſcil.) cum multo auro gerebant vulgo, quem pretioſum amictum ab illis ſecundi ordinis mulieribus, & in quibus non impermiſſa Veneris furta *OVID. l. 3. de Arte.*

Quid de veſte loquar? non iam ſegmenta requiro.
Nec quæ de Tyrio murice lana rubet.

Vid. RUPERT. ad Valer. Max. l. 2. c. 1. p. m. 113.

§. 49. Præterea & *SERVIUS in* 4. *Virgil.* matronis Romanis *nigram* comam, meretricibus *flavam* probatam *fuiſſe* tradit, referente *LIPSIO ad Tacit. Germ. p. m.* 545. Idem ex veteri Scholiaſte Juvenalis notat *HÖPPING de Jur. Inſign. c.* 18. §. 9. *n.* 183. *f.* 911. & pro eadem ſententia Alexandrum ab Alexandro citat *KORNMANN. de Jure Virgin. c.* 75. Ne tamen his aſſentiar, movet me Valerius Maximus, qui *lib. 2. c.* 1. *n.* 6. matronas etiam ſumma diligentia capillos cinere rutilaſſe narrat. Noſtras fœminas ac virgines qui color veſtimentorum & capillorum deceat, exponit Kornmann. *d. l. c.* 74. & 75.

§. 50. *Monachis clement.* 1. *de Statu Monach.* a Pontifice colores niger, brunus & albus commendantur. *Advocatis* nigrum colorem in veſtibus maxime convenire docet *MAGON. de recta Patroc. rat. cap.* 3. *n.* 50. & 51. quod firmitatis ac perſeverantiæ ille ſignum ſit, quippe qui variari & mutari non poſſit, prout cæteri variari queunt. *vide DIETHERR. addit. ad Beſold. Theſ. pract. voc.* Farben *f. m.* 251.

§. 51. Attribuuntur etiam ſingulis ſtatibus humanis ab *ætate* hominum deſumtis ſui colores, albus ſeu argenteus *infantiæ* uſque ad anum 7. cæruleus impubertati uſque ad annum 15. aureus ſeu flavus *juventuti*, uſque ad anum 20. viridis! ætati *virili* uſque ad annum 30. ruberus *virilitati* præfectæ uſque ad annum 60. & niger denique *ſenectuti*. *HARSDORFFER* in Frauenzimmer 1. Theil 12. Geſpräch. Idem olim a Romanis & Græcis in ludis ſcenicis obſervatum ac ſingulis hominum ſtatibus ſinguli colores dati. *Sic puellis color byſſinus aut candidus dabatur: Meretrici luteus, ſacerdotibus albus, tunica adoleſcentibus pro eventu & ſtatu, lætis candida, mœſtis obſoleta, diviti purpurea, pauperi punicea,*

punicea, Stenibus atra, lenonibus versicolor. vid. B. RAPPOLTI Comment. ad Horat. Epist. 61. c. 38. p. m. 793. Conf. SCALIGER. de arte poet. l. 1. c. 13. 17.

§. 52. Hac occasione, & quod mentio facta fuerit togæ candidæ lætis datæ, obsoletæ seu pullæ aut nigræ mœstis, illud præterire non possumus, colorem *nigrum* equidem plerumque ad luctum adhibitum fuisse & adhuc adhiberi *vid. supra* §. 43. (unde Paulus *lib.* I. *sentent. tit.* 22. §. 14. *Qui luget abstinere debet a conviviis, ornamentis*, purpura & alba *veste*) sed nec hoc tamen perpetuum fuit aut universale. De *cæruleo enim* jam quædam prænotavimus *d.* § 43. Angliæ & Galliæ Regibus singulare est, ut in luctu non nigris sed *violacei* coloris vestibus utantur *vid. GRAMMOND. l.* 1. notatumque fuit ut aliquid singulare, cum Ludovicus XII. Annæ conjugis mortem in vestitu atro lugeret, cum item Ludovicus XIV. audita morte Cromwelli, atratus incederet. Cujus posterioris exempli, quamvis Thuldenus istam afferat rationem, quasi factum fuerit in signum acerbi luctus, mallem tamen rationem istam ad primum exemplum referre, & in posteriori indicium quærere, quod Ludovicus XIV. Cromwellum regio luctu indignum esse judicaverit cum *Dn. BECMANN. in Notit. dignit. Illustr. diss. 6. c.* 1. §. 8. *p.* 157. Viduarum regiarum in Gallia luctus an *candido* amictu perficiatur an alterius coloris & quænam sit ratio, cur eædem vocentur *Blanches*, exponit *idem d. l. Conf. LIMN. Jur. Publ. l.* 2. *c.* 12. *n.* 11. & 12. ubi insuper de eo disquirit, an in versibus *VIRGILII lib.* 4. *Æneid. v.* 457. *seq.* quibus testatur, Didonem mariti tumulum templumque velleribus niveis obduxisse, denotetur luctus aut cultus species. Moribus Romanis jam olim, uti viris *niger* color luctui habitus est convenientior, ita fœminis color *albus*, quin imo & mortui candido amictu vestiti. *LIMN. d. l. Magn. Dn. STRYK. de jure vestiario. c.* 2. §. 75. & quidem quod fœminas concernit, aliquot hujus rei rationes ingeniose non minus atque facete recenset *PLUTARCH quæst. rom. c.* 26. *f. m.* 620. Cardinales hodie etiam in luctu colore utuntur *purpureo. Vid. SPRENG. Instit. Jur. publ. l.* 2. *c.* 35. *p.* 310. unde idem mos forte derivatus est, ad Rectores Academiæ in nonnullis Germaniæ Universitatibus. *Conf. infra.* §. 58.

§. 53. Neque tamen & *albus* color solus lætitiæ fuit dicatus, sed quandoque & alii adhibiti. Cassiodorus *lib.* 3. *varior. cap.* 51. quatuor partibus sive factionibus aurigarum in ludis Circensibus certantibus

quatuor

quatuor colores fuiſſe aſſignatos memorat, *Praſinum*, *Venetum*, *roſeum*, *album*, in ſymbolum quatuor anni partium; *Praſinus* ſiquidem virenti verno, *venetus* nubilæ hyemi, *roſeus* æſtati flammeæ, *albus* pruinoſo autumno dicatus eſt. Ex his albus & roſeus facile intelliguntur. *Venetum* autem male ab Egnatio per flavum explicari, ſed eſſe cœruleum, eundemque cum Thalaſſino, a mari nimirum, & Venetum forte dici ab uſu gentis non improbabiliter oſtendit *SCALIG. de Subtil. Exerc.* 325. *ſect.* 10. & 15. *Conf. SCHEFFER. de arte ping. §.* 44. *p.* 160. *Praſinum ſupra* §. 43. explicavimus per viridem, cui explicationi noſtræ favet *SCALIG. d. l. ſect.* 16. rationem ſimul denominationis exhibens. Adde *SCHEFFER. d. l.* qui tamen a pratis putat *partinum* dici debere. Höpping *de jure Inſign. cap.* 9. §. 3. *n.* 438. poſtquam recenſuiſſet morem iſtum ex Caſſiodoro, ſubjungit: *Eſt autem praſinus ex ruſſo & nigro color*, non recte: nam ex ruſſo & nigro oritur color ſubrubeus *vid. c.* 1. §. 29. 33. Provocat equidem Höpping in probanda hac explicatione ad *d. l.* Scaligeri, verum ibi nihil reperias, niſi hæc verba: *fit ex flavo & nigro viridis*, quod tamen & ipſum veritati non eſſe conſentaneum oſtendunt *d.* §. 29. & 33. Sed hic error his Autoribus facile condonari poterit, cum Demontioſus *in de pictura* & ipſe erronee poſuerit, *viridem ex cæruleo & rubro fieri*, notatus propterea Scheffero *d. l. p.* 161. *ſeqq.*

§. 54. Quæ hactenus de veſtimentorum colore recenſuimus, ſpectant ad eadem indefinite, ſequitur ut paucis videamus coloris uſum in partibus veſtium: ubi initio ſe offerunt *pilei*, quorum diverſitas ratione coloris diverſum ſæpe hominis ſtatum denotavit. *Pontificem cum galerum* rubrum *novo* Cardinalis *capiti imponit*, *ſequentia verba proferre* ex Autore quodam anonymo refert *BESOLD. Theſ. Pract. voc. Cardinal. f.* 144. *Ad laudem omnipotentis Dei & ſanctæ ſedis Apoſtolicæ ornamentum accipe galerum rubrum, inſine ſingulare dignitatis Cardinalatus, per quod deſignatur, quod uſque ad mortem & ſanguinis effuſionem incluſive pro exaltatione ſanctæ fidei, pace & quiete populi Chriſtiani, augmento & ſtatu Sacro Sanctæ Eccleſiæ Romanæ intrepidum te exhibere debeas, in Nomine Patris & Filii & Spiritus S.* Onuphrius autem arbitratur, illo pileo rubeo ſignificari, quod Cardinalis pro Eccleſiaſtica libertate tuenda caput ſuum, ſi opus eſſet, gladio offerre debeat. Vide

CONRING. *Antiq. Acad. p.* 160. *dissert.* 5. ubi & *p.* 159. memorat, quod ornatum hunc Galeri rubri ab Innocentio IV. Cardinales acceperint.

§. 55. In creandis *Doctoribus* Facultatum quarumvis notum est inter alia solennia etiam adhiberi impositionem pilei, cujus moris quænam sit ratio, exponit *LIMN. de jur. Publ. VIII.* 8. 91. Est tamen & hic notatu non indigna differentia coloris. *JCtis enim pileus colore* rubeo *h. e. regio, sed alius &* nigro (in Academia Lipsiensi *violaceo*) *tantum colore Theologis imponitur ratione ea, quod hi mundo mortui coelestia consectentur: JCti vero Regibus assideant, quam Cothmannus redd.unt, & Jac. Middendorpius. vid. ITTERUM de grad. Acad. cap.* 14. §. 23. *p.* 368. Tolerarem rationem istam de pileo rubeo, si omnes Dd. Juris Regibus assiderent, sique is color iis esset proprius, nec cum Doctoribus Medicinæ communis. Ergo cum certum sit, antiquitus, non Theologiæ Doctores, sed Magistros, eosque ad differentiam Magistrorum Philosophiæ dictos Magistros nostros fuisse creatos, inquirendum foret, annon & antiquitus Magistri Theologiæ Doctoribus reliquarum Facultatum fuerint inferiores, & ita in insigne dignitatis inferioris habitu violaceo fuerint induti, quem colorem in dignitatibus ecclesiasticis infra purpureum censeri docebit §. 59. Certe Magistri Philosophiæ in Alma hac pileum violacei coloris cum Theologiæ Doctoribus habent communem.

§ 56. De *pileo flavo* aut *viridi* in nonnullis locis decoctoribus atque bonis cedentibus impositó commodius dicetur *infra* §. 126.

§. 57. Venio ad *pallium. Purpureum* concessit *Cardinalibus* Paulus II. qui papali sedi post annum 1464. fuit admotus. *CONRING. p.* 159. *antiquit. acad.* Tradit tamen Sprengerus *Inst. jur. publ. l.* 2. *c.* 35. *p. m.* 310. Cardinales pro diversitate temporum triplici vestitu uti, *rubro, purpureo & rosaceo.*

§. 58. Similem epomidem *purpuream* in Academiis nostris plerisque gerunt *Rectores* Academici, quam non temere & ipsam a Romanis Pontificibus ortum trahere, voluisseque Papam hujusmodi vestitu non subducere tantum omnem Academicum cœtum imperio principum sibique uni subjicere, sed & animare eundem ad imperia ejus legitima excutienda, colligit Conringius *d. l. Conf. Magnif. Dn. ZIEGLER. de jurib. Majest. l.* 1. *c.* 23. §. 11. *p.* 366. Qua tamen ratione non obstante, jure retinere possunt habitum istum purpureum Rectores nostri, non appro-

approbantes videlicet intentionem Pontificis, ſed potius perpendentes, ſe a principibus hanc habere purpuram, eorundemque repræſentare perſonam *vid. LIMN. de jur. publ. VIII. §.* 21.

§. 59. Quemadmodum autem in Curia Romana Cardinales purpura amicti ſunt, ita *Prælati*, quorum dignitas inferior eſt, habitu *violaceo* incedunt. Unde & novellæ ſuperioris anni Roma miſſæ, poſtquam nunciaſſent, Prælatum Favoriti Papæ modemo maximopere carum vita defunctum eſſe, & agnatum ejus Comitem Caſonienſem ad ſucceſſionem deſtinari *d.* 12. *Decembris* deſiderium ſucceſſoris hujus non inepte his verbis exprimebant: Der Graf Caſoni kan kaum die Stunde erwarten, da ihm der Violbraune Habit angezogen werden ſoll ꝛc. Cum hoc veſtitu Prælatorum forte non incommode comparare poſſes pallium violaceum *Decani Facultatis Philoſophicæ* in Alma hac Philurea. *Conf. §. præced.*

§. 60. De pallio *Archiepiſcoporum* in Jure Canonico *t. t. de auctoritate & uſu pallii*, & alibi frequenter agitur. Eſt autem iſtud pallium deſcribente Abbate in *rubr. d. t. faſcia latitudinis trium digitorum ex* candida *lana linoque confecta, habens circulum humeros conſtringentem, & duas lineas ſeu cordulas ab utraque parte ante & retro pendentes, (a ſiniſtris eſt duplex, a dextris ſimplex) item quatuor cruces* nigras, *alii dicunt* purpureas, *quarum una reſidet ante pectus, ſequens retro in humeris jacet, ultimæ hinc inde brachia exornant.* Plura de eo *vid. apud Magnif. Dn. ZIEGLER. ad Inſtit. Lancelloti lib. I. tit.* 11, §. 1. *p. m.* 80. *SPEIDELIUM in Speculo voc. Pallium, ac Scriptores juris publici paſſim.*

§. 61. In Hiſpania diſputationum publicarum Præſides pallium *flavum* geſtant. Sic enim *ZEILER. in Itin. Hiſpan. p.* 48. In Spanien, wenn Sie auf hohen Schulen diſputiren, ſo ſitzt der Præſes auf der Cathedra, hat einen gelben Taffent-Mantel und ein Bind um ein kleines Hütlein und einen Federbuſch drauf.

§. 62. A pallio pergo ad *Togam.* Apud Romanos qui Magiſtratum aliquem petebant, *Candidati* appellabantur id nominis adepti a toga *candida*, quam geſtabant, quiſe magiſtratum gerere profeſſi erant. *Vid. ROSIN. Antiquit. Rom. l.* 7. *c.* 8.

§. 63. De *calceis* Pontificum modernorum ita *SPRENGER. jur. Publ. lib.* 2. *c.* 36. *p. m.* 318. *Quod uſum calceamentorum rubrorum cruce inſigni-*

insignitorum attinet, quæ moderni portant, ab antiquo non ita fuit, cum Constantinus Imperator mandaverit Pontifici vestire pedes linteo candidissimo, *in cujus vicem successerant postea calceamenta* rubra *cruce insignita, quæ ad osculandum præbet.*

§. 64. Nec solum in vestimentis, sed & in eorum ornamentis colorum diversitas diversos personæ status quandoque designat. Videas enim *Equites crucigeros* potissimum crucis colore distingui. Malthesii crucem *albam* octangularem ad sinistrum pectoris latus gestant. Teutonici vero crucem *nigram* pallio albo inhærentem. Similis crux nigra in vestitu albo portatur in regno Arragoniæ ab Equitibus S. Mariæ redemtionis. Crux *viridis* ab aliquot ordinibus fuit adamata. Ordo Equitum S. Lazari crucem viridem octangularem, cujus in medio alba alia minor crux apparet, Ordo Equitum de Alcantara crucem viridem cum extremitatibus lilitatis gestant. *Rubra* vero crux insigne est ordinum plurium, nimirum S. Stephani, S. Jacobi de Spatha, de Calatrava, Jesu Christi, de Montesia & di santa Maria Mater Domini. Sed in singulis, ut a se invicem discerni possent, vel color alius fuit superadditus vel etiam figura crucis variat. *Vid. LIMN. de J. P. lib. 6. c. 2.*

§. 65. Notari etiam merentur duo Ordines Equitum distincti *fasciis versicoloribus.* Unus ordo S. Georgii & Periscelidis des blauen Hosenbands, institutus ab Eduardo III. Rege Angliæ, (de cujus origine historiam satis notam eruditis, ac si præfatus ordo ab alligata per Eduardum Comitissæ Cantii Periscelide ortum traxerit, in dubium vocat non sine ratione *Dn. BECM. de dignitat. Illustr. dis.* 16. §. 4. *p.* 420.) alter della Banda vel Fasciæ *rubræ* der rothen Binden, autorem agnoscens Alfonsum VII. Regem Hispaniæ, de quibus vide plura *ap. LIMN. d. l. n.* 25. & 40.

§. 66. Ad ornamenta vestium spectant etiam divisiæ, Liberyen, de quibus *vid. HOPPING. c.* 22. *n.* 302. *seqq. f.* 1047. *seq.* Et per harum colores famulos præprimis ac milites gregarios a se invicem solere discerni testatur experientia. Putamus autem cuilibet privato regulariter liberum esse, colores divisiæ sibi eligere pro lubitu quos velit, quia id nusquam prohibitum, nisi id fiat dolo malo, & in fraudem aut æmulationem alterius, item nisi sit color iste a Principe jam electus ad

divisi-

diviſiam, quo caſu quidem, ſive id fiat ex arroganti aut ſuperbo animo, ſive etiam abſque eodem, modo tamen poſt admonitionem præcedentem in eo perſiſtat privatus, eundem, ſi non majeſtatis læſæ aut violatæ, certe ut contemtæ reum extra ordinem puniri poſſe arbitror *arg. t. t. C. de Veſt. Holuber.* Huc ſpectant verba *ex Act. Brunſvic. citata HOPPING. d. l. n.* 309. *f.* 1048. mit handgreiflicher Antaſtung der Fürſtl. Braunſchweigiſchen Farbe, ſo ihm an gelb und rothen Seidengewand vorgehalten worden.

§. 67. Quærit hac occaſione Höpping. *d. l.* An miles portans inſignia vel diviſiam Imperatoris eo reſpectu ab hoſtibus bellum Imperatori indicentibus capi potuerit. Nos cur eandem quamvis ſatis obſcure formatam, affirmare non debeamus, cauſam videmus nullam nullamque rationem dubitandi. Nam rationes, quas pro negativa producit Ludovicus Romanus, eumque ſecutus *HOPPING. d. l. n.* 310. *ſeqq.* ſane tam frigidæ ſunt, tamque impertinentes, ut eas nec recenſitu dignas judicemus.

§. 68. Quæ hactenus de diſtinctione perſonarum ſecundum varios veſtimentorum colores diſſetui, pleraque ſpectarunt ad juſtum in ſenſu negante, ſeu ad jus pro attributo perſonæ ſumtum. Dicenda vero etiam nonnulla ſunt de legibus Imperii noſtri circa colores veſtimentorum diſponentibus. Bene Seneca *Epiſt.* 51. *Alia veſtis ſapienti at probo viro magis convenit, quam alia, nec ullum* colorem *ille odit. ſed aliquem putat aptum eſſe frugalitatem profeſſo.* Obſervarunt hoc Imperatores Romani in receſſibus paſſim, unde & ratione colorum voluerunt eſſe diverſitatem in veſtimentis. Color *Carmaſinus* Carmaſinroth quibus perſonis indultus & quibus prohibitus fuerit, oſtendunt *Reform. Pol. de anno* 1530. *tit.* 12. §. 1. *tit.* 13. §. 1. *&* 3 *tit.* 14. §. 1. *tit.* 16. §. 1. *Ord. P. de anno.* 1577. *tit.* 11. §. 1. *& tit.* 13. § 1. Prohibentur etiam illæ perſonæ, quæ infra dignitatem Equitum aut Doctoralem ſunt, equis ſuis *flava* ornamenta (quaſi veſtimenta equorum) comparare. *Ref. Pol. de anno* 1530. *tit.* 17. §. 1. *O. Pol de ann.* 1577. *tit.* 14. §. 1.

§. 69. Judæi tanquam viliſſimi hominum, quemadmodum non niſi ſeveriſſimis legibus in Republica tolerandi ſunt, ita & convenit, ut quo magis ab aliis diſcerni queant hominibus, certo ac peculiari veſtitu utantur non minus atque Carnifices, ac fœminæ lucrum corpore quærentes *d.*

O. P. de ann. 1577 *tit.* 10. Conſtitutum ergo eſt ſapientiſſime *d.* Ref. Polit. *d. ann.* 1530. *t.* 12. §. 1. Daß die Juden einen gelben Ring an den Rock oder Kappen allenthalben unverborgen zu ihrer Erkäntniß öffentlich tragen. *Flavus* enim *color cenſetur proditorius, forte quia citius deficit, aut quia auri color eſt, cujus gratia nihil non perpetratur* - - - - - Hinc *& proditor Judas flavo pallio depingitur.* - - - *Moriones quoque apud nos flavo veſtiuntur colore, utpote contemtibili & deſpecto.* KORNMANN *de jur. virgin. c.* 74. *p. m.* 173. Hic tamen Lipſiæ circulum iſtum flavum ita aperte non portant, quamvis obligati ſint miniſtris publicis eum oſtendere. Die Angebe, Schutz oder Mauth Zettel, auch gelben Fleckleins ſoll ieder Jude ſtets bey ſich tragen und ſchuldig ſeyn, iedweden der Raths Diener oder auch Stadtknechte ſolchen auf Begehren vorzuzeigen, oder den begehrenden Rath-Diener oder Stadtknecht in Verweigerungsfall, einen Reichsthaler verfallen ſeyn. Leipzig Juden-Ordnung. §. 6. *In Italia, Patavii Antenoris & Romæ flavis pileis incedere tenentur. Interris Sereniſſimi Dominii Venetiarum deferunt* biretum *crocei vel lutei coloris, ut ab omnibus dignoſcantur, quod introductum eſt in eorum ignominiam & opprobrium, ut ab eis ſit cavendum* KORNM. *d. l.*

§. 70. De veſtitu ſatis. Differentia ſtatus perſonarum etiam in ſeſſione & accubitu obſervari ſolet, ut ſcilicet honoratior ſedeat in loco honoratiore. Sed & hic color uſum habet. Cardinales in privata audientia ſedent ſuper pulvinaribus duobus ex *rubro* panno. *SPRENG. Inſt. Jur. publ. l.* 2, *c.* 35. *p. m.* 311. Non ergo errabimus ſi dixerimus diverſis dignitate perſonis diverſorum colorum ſubſellia convenienter aſſignari poſſe, ſuperioribus *rubeas*, inferioribus *violaceas* aut *nigras* &c.

§. 71. Præterea & in ſcripturæ ac ſigillorum colore diverſitas perſonarum fuit obſervata. Nam quod illam attinet, ex antiqua Romanorum ac Græcorum Imperatorum hiſtoria conſtat, eos in inſcriptione & ſubſcriptione Reſcriptorum ſpeciem atramenti rubri (ſi modo recte dicitur atramentum rubrum) vel *purpurei*, quod ſacrum encauſtum dicebatur, uſurpaſſe hujuſque encauſti uſum privatis interdixiſſe, *l.* 6. *C. de diverſ. Reſcript. Vid. omnino Magnif. Dn. STRYK. de Cera rubra cap. ult. per integr.* Unde non male *DIETHERR. addit. Beſold. Theſ. voc.* Dinten *p. m.* 200. Diejenigen Herren dörfften mit rother Dinte ſchreiben, welche über Tod und Leben zu urtheilen hätten. Sed encauſtum

ſtum iſtud hodie & cum eo prohibitio exolevit. *Dn. STRYK. d. l. n.* 24. *ſeqq* Plura de atramentis diverſicoloribus *vide ap. DIETHERR. Beſ. Contin. voc.* Dinten *f. m.* 63.

§. 72. Magis ad noſtra tempora ſpectat diverſus ceræ color in ſignatione uſitatus, ab aliis *albus*, ab aliis *flavus*, *ruber* ab aliis aut *viridis*, a nonnullis etiam *coeruleus*, ab aliis *niger*, nec tamen pro lubitu. Reperias enim ſingulos cerarum colores a Regibus aut Principibus in ſigillo quandoque fuiſſe adhibitos, imo a quorundam uſu privatos fuiſſe repulſos, præprimis ab *albi* aut *rubri*. Sed cum hanc materiam jam ſufficientiſſime tractaverit *Magnif. Dn. STRYK. de Cera Rubr.* eo me brevitatis ſtudio refero. *Conf. BESOLD. Theſ. Pract. voc.* Wachß *ibique DIETHER. f. m.* 983. *& in Beſold. Contin. d. voce f.* 626. *SPEIDEL in ſpeculo d. voce f. m.* 1332. *Magnif. Dn. ZIEGLER. de Jur. Majeſt. lib.* 2. *cap.* 21. §. 14. *ſeqq. p.* 1166. *ſeqq.* ubi deprehendes varia Reſponſa Facultatis Juridicæ Lipſienſis, Wittebergenſis & Scabinatus Hallenſis, decidentia cum rationibus, quod nemo privatus, ſive Nobilis ſit ſive Ignobilis, cera rubra in ſignando uti queat, niſi hanc poteſtatem ſpeciali privilegio acquiſiverit. Illud omittere nequeo, quod in Collectaneis MS. S. Viri cujusdam in hac Civitate olim non incelebris legi, Scabinatum Lipſienſem anno 1574. d. 15. Novembr. a Sereniſſimo Electore Auguſto glorioſiſſimæ memoriæ ſigillum quo hodie utuntur & privilegium ſignandi cera *rubra* accepiſſe, cum antea *flava* ſignaret.

§. 73. Non minima diſtinctio ſtatus humani eſt, ſecundum quam alii ſunt nobiles, alii plebeji. Elucet horum differentia poſſitimum in inſignibus, quibus non ſolum nobiles ab ignobilibus, ſed & qua hi qua illi a ſe invicem diſtinguuntur. In materia vero Inſignium inſignem uſum præbent colores, de quo tamen pauca ex Höppingio & quaſi per indicem licebit colligere, cum fuſiorem hujus argumenti tractationem ipſe in erudito opere de Jure Inſignium nobis præripuerit. Et quidem initio notandum: quandoque & præprimis antiquitus colores ſolos in inſignibus loco imaginum fuiſſe uſurpatos. *HÖPPING. c. 9. n.* 398. 442. & 446. Unde quæſitum fuit, an ſcuta pura ſeu unius coloris pro inſignibus ſint habenda, quoad definit Spenerus *part. ſpec. operis Heraldici prolog.* §. 30. Deinde quoad diverſitatem inſignium iſtæ regulæ etiam obſervandæ ſunt: Data una inſignium diſſimilitudine, & vel ex ſolis coloribus

bus

bus desumta, arma etsi alias sint eadem, diversa tamen debere judicari. *HöPPING. c.* 11. *n.* 18. 20. 22. Item: Majores in propagatione stirpis diversos insignium colores propagare consueviſſe, ipso insigni retento. *HöPPING. c.* 9. *n.* 483. *seqq.* Denique ratione conjunctionis & disposition nis colorum in insignibus certa quædam principia sunt, observanda, proposita a *CHASSAN. Catal. glor. mundi part.* 1. *Consid.* 38. *Concl.* 64. 65. 69. 70. 71. & 72. *HöPPING. c.* 9. *n.* 481. *seqq.* v. g. ne in insignibus imagines, quas clariores reddere convenit atque jucundiores, faciant obscuriores *Idem c.* 11. *n.* 8. *seqq.* Item ut si arma fiant ex simplicibus imaginibus seu ex colorum varietatibus, nobilior color nobiliori id est priori & superiori in loco ponatur. *Id. d. c.* 11. *n.* 5. *seqq.* Quinam vero colores habeantur pro nobilioribus tractat *idem ibid. n.* 14. *seqq.* Porro unde originem sumserit mos animalia fera in insignium imaginibus, v. g. Leones, Aquilas, Lupos &c. coloribus diversis a naturalibus v. g. cœruleo alioque vario pingendi, inquirit *idem c.* 9 *n.* 445. Est etiam in insignibus coloris aurei & argentei seu fulvi & albi usus non infrequens, imo fere necessarius, nisi insignia pro spuriis haberi debeant, per ea quæ tractat *idem c.* 9. *n.* 485. *&c. c.* 11. *n.* 58. *seqq.* De colore cristarum vide *eundem c.* 9. *n.* 612. *seqq.* Sed nec frustra colores in insignibus adhibentur. Habent enim singuli suas significationes quasi mysticas, quarum explicationem ex Chassanæo recenset summatim *LIMN. jur. publ. lib.* 6. *c.* 6. *n.* 64. *seqq.* eam tamen ut confusam & impertinentem rejicit *Dn. BECM. diss.* 6. *de dign. illustr. c.* 3. §. 2. *p.* 177. Nos subsistimus, judiciumque de hac re celeberrimi Speneri in parte generali Operis Heraldici (quam avide desiderat eruditus orbis) haud dubie aliquando aperiendum exspectamus.

§. 74 Viso generali colorum usu in insignibus, pauca quædam specialia subjungemus. Unde in clypeo *Austriaco* purpureus & albus color originem sumserit ostendit Besoldus *voce* Wapen *f.* 988. In Insignibus Serenissimi Electoris *Saxoniæ* Leonem lateris dexteri non tantum argentei coloris esse, sed & aurei, ostendit Spenerus *part. spec. Op. herald. proleg.* §. 21. *f.* 16. In potentissimi Electoris *Brandenburgici*, Domini mei Clementissimi, insignibus aliquot gryphes variorum colorum deprehenduntur, unus niger in campo aureo, alter rubeus unguibus aureis in campo cœruleo, tertius coccineus cruribus & rostro aureis in campo argen-

argenteo, quartus rubris & prasinis tæniis distinctus in campo simili. Quænam autem hujus colorum diversitatis sit ratio ostendit idem Spenerus *d. l. lib. 1. c. 13. §. 13. f. 83.* Nec omittere possium insignia celeberrimi hujus Municipii *Lipsiensis*, quæ ex Misnicis & Landsbergensibus conflata esse, *coloribus* duntaxat mutatis ex indultu ac concessione Othonis Misniæ Marchionis asserit Höpping. *de Jur. Insign. cap. 6. §. 7. n. 1112. p. 396.* quam opinionem tamen refutat Schneider, *Chron. Lipsi. p. 97.* Sed pene oblitus fuissem insignium communis hominum parentis Adami, de quibus sic lego apud Dietherrum *in addit. ad Besold. Thes. pract. voce Adam f. 671.* Johannes Feron ein Advocat zu Paris meldet, Adam habe einen rothen Schild geführet, sich zu erinnern der rothen Erden, von welcher er geschaffen worden, und in solchem Schilde sey ein schwartzer Apffel zu sehen gewesen, zu bemercken seinen schweren Sündenfall Verum cum hæc narratio magis jocosa sit quam seria, ideo transeat.

§. 75. Affines insignibus sunt notæ, quibus caupones apud nos uti solent in signum, quod in ædibus suis cauponaria exerceatur HOPPING. *de Jur. Insign. c. 6. part. 8. n. 1330. seq.* quod Germanice solemus efferre Wirthshäuser, die einen Schild aushangen haben. *De quibus vid. auct. a* DIETH, *addit. ad Bes. Th. Pr. voce.* Wirth *f. m. 1006. citator.* Hujus loci est quæstio: An cuilibet Cauponi integrum sit, notam, quamcunque velit, cauponæ suæ apponere, an vero eandem specialiter a Principe aut Magistratu municipali impetrare habeat opus? Ad quam quidem abstrahendo a cujusvis loci statutis respondeo affirmando prius, quia nulla lege electio signi ejusmodi est prohibita. Quod vero prohibitum non est, id licet. *Conf.* HOPPING. *d. l.* Neque obstat, quod de insignibus quidam asserunt, privatos non posse sibi insignia pro lubitu eligere, quia concessio insignium spectet ad jura majestatis, ut late deducit *Magnif. Dn.* ZIEGLER. *de jur. Majest. l. 2 c. 21. §. 7. seqq. p. 1161. seq.* Nam præterquam quod assertio ista indistincte ab omnibus haud approbetur vide *Dn.* ZIEGLER. *d. §. 7. init.* BESOLD. *voce*: Wapen *ibique* DIETHERR. *f. 988. seq.* HOPPING. *de Jure Insign. c. 6. part 8. n. 1448. seqq.* SPEIDEL. *in speculo voce* Wapen *f. 1341. seqq.* ab insignibus ad signa cauponarum N. V. C. cum a diversis male inferatur. Prohibitio enim de insignibus est odiosa, adeoque stricte explicanda, neque valet in signis, quibus homi-

nes insignando utuntur, aut annulis signatoriis. *Magnif. Dn.* ZIEGLER. *d. l.* §. 18. *p.* 1169. tantum abest ut in notis cauponarum attendi mereatur.

§. 76. Limitanda tamen est opinio nostra, ut aliter se res habeat, si ad æmulationem alterius, caupo sibi signum eligat. Quemadmodum enim in genere ædificare aut exstruere quod ad alterius æmulationem aut *injuriam* vergit, non *licet, vid.* REYGER *Thes. voce: Ædificium*, ita nec hic licebit. Unde *si hospes in municipio quodam sibi signum aliquod sumserit; potest prohibere ne in illo loco alius illud accipiat, quia sua interest, ideo quod forte propter ejus famam & diligentiam cuncti viatores & hospites ad ipsum currerent, iam vero diffamaretur, si alius non æque idoneus & industrius signum istud assumeret* vel etiam is, qui de novo signum istud assumit, lucrum ejus honestum intercipiendo dolum committeret, quod tolerandum non est. Accedit, quod apponere signum alienum in rebus suis sit prohibitum. *Arg. l.* 1. *C. de navib. non excus. libr.* XI, *Vid. Luc. de* PENNA, *in leg. Stigmata C. de Fabricens. Guilh.* BENEDICTI *in repet. cap. Raynutius de testament. n.* 59. *Chassan. Catal Glor. mund. part.* 1. *Consid.* 38. *Concl.* 34. *p. m.* 41. *seq. adde omnino* HOPPING. *d. l. c.* 14. *n.* 114. *f.* 797.

§. 77. Præmittenda hæc fuerunt, ut usus coloris in præsenti quæstione eo melius ostendi posset. Quamvis igitur caupo non possit constituere sibi signum, quod alius jam tabernæ suæ aut cauponæ præposuit limitanda, tamen hæc est propositio ut liceat eligere signum alii signo plurimum simile, modo discrepantia sit in aliquibus CHASSAN. *d. l. p.* 41. Unde si modo *color* notæ cauponariæ differat ab alia, licebit eadem uti. In exemplum hujus rei produco tria diversoria Lipsiensia, unum aquila cœrulea, alterum rubra, tertium aurea insignita, den blauen, rothen und güldnen Adler ꝛc. *conf. supra th.* 72.

§. 78. Hinc facile definiri potest quæstio, an liceat hospiti mutare colorem signi sui? Nam respondeo, utique id licere, si modo per novum colorem signum istud alieno signo non fiat plane simile. Sic ante annos quosdam hospitio cuidam hic Lipsiæ erat præfixum signum ursi fasci den braunen Bärs. At hunc colorem ursi postea hospes commutavit cum aureo, nemine contradicente. Si vero cum nigro voluisset commutare utique non licuisset, quia jam diversorium aderat urso nigro insignitum.

§. 79.

§. 79. De ſocietate civili hæc ſufficiant. In ſocietate domeſtica denique uſus colorum eſt nullus. Deprehendere enim poteris in omnis ævi hiſtoriis integras familias certis quibusdam notis fuiſſe diſtincta, quæ genitivæ etiam dici ſolent, quarum pleræque ex cuticula alio colore, quam reliqua cutis eſt, gaudente, & varias rerum formas repræſentante conſtant. In colligendis harum notarum exemplis non ero occupatus, cum. id jam diligentiſſime præſtiterit HOEPPING. *de Jure Inſign. c.* 18. *per integra p.* 895. *ſeqq.* Solet autem quæri: An ex hujusmodi notis genitivis paternitas aut filiatio probari poſſit? Sed de hac quæſtione commodius tractabimus *infra cap. ult.*

§. 80. Statui hominum ſociali opponitur ſtatus ſubſidiarius belli. Hic autem ſæpius integræ factiones coloribus diſtinctæ. In Anglia Roſa alba ex una & rubra ex altera parte diu ſatis hiſtoricis ſcribendi anſam præbuere, donec eæ ab Henrico VII. per matrimonium iterum jungerentur *Vide* ERASM. FRANCISCI Frauerſaal. *part.* 2. *hiſt.* 8. HOPPING. *d. l. c.* 6. *part.* 3. *n.* 497. *ſeqq. f.* 309. *ſeq.* De triplici tentorio Tamerlanis, albo, rubro, & atro *vide quos citat idem d. l. c* 17. *n.* 334. *f.* 869. Dei vexillis rubeis, aureis, argenteis, purpureis, roſeis & albis tractat *idem prolixe d. c.* 17. *n.* 324. - - - 398. *Conf. Dn.* STRYK. *de cera rubr. cap.* 1. *n.* 55. De draconibus & ſerpentibus olim a Romanis in bello uſurpatis eorumque colore *vide* HOPPING. *d. l. n.* 205. *ſeqq.* & de tunica ruffa ducis prætorii *n.* 326. Nam tempore belli rubearum veſtium olim erat uſus maximus, præprimis apud Lacones. *Magnif. Dn.* STRYK. *d. n.* 55. HOPPING. *c.* 9. *n.* 463.

§. 81. Abſolvimus uſum coloris accidentaliter prædicati (*Vide ſupra cap.* 1. §. 15.) in diverſis hominum ſtatibus. Reſtat ut paucis oſtendamus, quid conducat color eſſentialiter acceptus. Ubi initio obiter noto memorari a Dietherro *addit. ad Beſ. Theſ. voce* Dinten *f. m.* 200. Præfectum atramenti, citarique pro explicatione hujus officii Rupertum *in Hiſt. univ. c.* 4. §. 11 At Ruperti obſervationes ad Beſoldi ſynopſin minorem, quas ſub titulo hiſtoriæ Univerſalis edidit, in libros partitæ non ſunt, nec veſtigium ullum in iis de præfecto atramenti deprehendere potui, uti nec in aliis ſcriptoribus quibuſdam magiſtratuum Romanorum officia ex profeſſo, ut ajunt, exponentibus: Et præterea divinare nequeo, in quonam officium hujus præfecti conſtiterit. Meminit equidem Dietherrus

rus *d. l.* vectigalis atramentarii provocatque ad Pacii Analysin Codicis, unde forte suspicari posses, Præfectum Atramenti vectigali isti fuisse præpositum. Sed nihil definire volo, cum mihi non licuerit esse tam beato, citatam Pacii analysin introspicere, aut commodato accipere. Forte etiam respexit ad magistrum officiorum, vel potius scriniorum, quorum cura erat Encaustum sacrum legitime confectum, ac certis in scriniis conditum conservare. *Vid. Magn. Dn.* STRYK. *disp. de cera rubra cap. ult. n.* 12.

§. 82. Transeo potius ad alia. Et cum supra *c.* 1. *d.* §. 15 dixerim, colorem essentialem vel formaliter denominari vel materialiter, uterque significatus certum hominum statum invenit, qui circa eum sit occupatus, ille quidem tinctorum, hic pictorum, de quibus postquam nonnulla breviter recensuerimus, capiti huic finem imponemus.

§. 83. Et *tinctores* quidem quod attinet, quomodo a pictoribus differant, tradit Schefferus *de arte pingendi* §. 10 *p.* 42. Opificium tinctorum numerandum non solum esse inter utilia Reip. sed & rebus licitis annumerandum esse, nemo forte dubitavit, nisi Chassanæus *Catal. Glor. mund. Part.* 11. *consid.* 41. *p. m.* 739. opificia pannificum, serificum & tinctorum inter artes referens, quæ quidem sint honorabiles in humana civilitate, de se tamen illicitæ, cum inserviant vanitati in multis, & in signum detestationis talis vanitatis legatur *Luc. XVI.* quod dives epulo, qui induebatur purpura & bysso, sepultus sit in inferno. Verum nos arbitramur, non magis ex citata historia *Luc. XVI.* aliquid pro improbando opificio tinctorum inferri posse, quam ex Jure Civili cum Rebuffo & Chassanæo *d. l.* pro adstruenda præcedentia pannificum & tinctorum, quorum ille pro tinctoribus adducit §. *si quis in aliena* 34. *Inst. d. R. D.* Hic vero pro pannificibus provocat *ad l. sed si ex meis & l. quiquid in fin. ff. de A. R. D. item ad* §. *Cum ex aliena* 25. *&* §. *seq. si tamen alienam &c. Inst. de R. D.* Aspiciendi enim hic potius sunt diversarum regionum mores & observantiæ.

§. 84. Prohibentur autem Tinctores Jure Electorali Saxonico *per Mandat. Joh. Georg. I. de die* 31. *Januarii* 1626. (*vid. Part.* 1. *Corp. Saxon. f. m.* 178.) telas laneas vel semilaneas variis coloribus mixtas colorare sub pœna viginti Joachimicorum.

§. 85. Jure Imperii constitutum, ut color pannos corrodens, die schädli-

che,

che, betriegliche, freſſende oder corroſiv-Farbe, ſo man die Teufels-Farbe nennet, in colorandis pannis nequaquam adhibeatur, ſed loco ejus color ex Iſatide herba confectus, die Weid-Farbe. Quod ſi vero vel tinctores de facto colore iſto corroſivo in coloratione pannorum utantur vel etiam alii pannos hujusmodi colore tinctos vendant, ii & infamia vel mulcta pecuniaria puniri, ac pannus ipſe confiſcari debeat. *vid. Ord. Polit. de anno* 1577. *tit.* 21. §. 3. Idem *repetitum* fuit in mandato Cæſareo Ferdinandi III. de anno 1654. ubi ad colores corroſivos refertur color cæruleus *indigo* dictus, & mandatum iſtud Cæſareum a Sereniſſimo Saxoniæ Electore edicto fuit corroboratum *in Reſol. Grav. de ann.* 1661. *tit.* Von Juſtitien-Sachen §. Wie hoch auch zum ſechs und ſiebentzigſten. *Conf. etiam Rec. Imp. de anno* 1544. §. beneben dieſem 126. & *R. J. de ann.* 1603. §. Gleichfals und dieweil. 64.

§. 86. Præterea Tinctores die Schwartzfärber in circulo Lipſienſi, Dreſdenſi & Zvvickavienſi certa gaudent ordinatione, confirmata 1614. a Divo Johanne Georgio I. cujus ſumma potiſſimum punctis ſequentibus continetur. 1. Es ſoll keiner färben, er habe denn das Handwerck drey Jahr bey einem Meiſter gelernet, und drey Jahr gewandert. 2. Es ſoll keinem Handwerck noch Händlern auſſer denen Schwartzfärbern Leinwad, Barchet, halbwüllens und ſonſten ins gemein zu färben verſtattet werden. 3. Der Meiſter werden will, ſoll dem Handwerge ein Meiſter-Stücke von drey Farben, nehmlich Schwartzer, Rother und Blauer fürlegen, ꝛc. 4. Die zwiſchen Meiſtern und Geſellen entſtandenen Irrungen ſollen gewiſſe vier Meiſter im Handwerck derer Städte Leipzig, Leißnig, Oſchatz und Mitweyda, zu vertragen Macht haben, do es aber ja dem Handwerck nicht berichtet und fürgetragen werden könte, ſoll man alsdenn die Obrigkeit derſelben Stadt darzu nehmen, und was von ſelber Obrigkeit und denen vier Meiſtern beſchloſſen wird, dabey ſoll es bewenden, und keines weges, wie zuvor geſchehen, die Sache weiter in fremde Länder und Städte gebracht werden. 5. Es ſoll kein Meiſter 2. Werckſtädte gebrauchen, und mit Geſellen betreiben, ſondern eine iede Werckſtatt mit einem ſonderlichen Meiſter in Pachte beſetzen, auch nicht in zweyen Häuſern Leinwad zu färben annehmen, und hinwieder gefärbet ausgeben. 6. Es ſoll auch vermöge eines tempore Chur-

fürsts Augusti den 17. Martii 1568. ergangenen Abschieds keine neue Rolle oder Mandel, oder ein Färber-Haus ausserhalb derer Städte, ohnsonderbahre Churfl. Nachlassung aufgebauet werden. 7. Es soll kein Meister Leinwad zu färben mit Ausfahren oder Tragen holen, und hinwieder die gefärbte Leinwad in die Städte, Flecken oder Dörffer führen und tragen, sondern seines Glücks daheim erwarten. 8. Welcher Meister auf des Handwercks, Ober- und Vier-Meister iedes Creyses beschehenes Erfodern ungehorsam ausenbleibt, soll in die Unkosten und daß die andern seinetwegen vergeblich reisen müssen, condemniret werden. Quod n. 6. retulimus nullum ædificium tinctorium sine concessione Serenissimi in suburbiis & extra municipia esse exstruendum quam rationem habeat, aliis inquirendum linquimus. Simile quid per mandatum Wenceslai Imperatoris de ann. 1397. constitutum est referente LIMN. *J. Publ. l. 7. c. 17. n. 20.* ne videliet Schmiede-Becken- und Farbhäuser, sine consensu speciali Senatus & civium Friedbergæ de novo exstruantur, ob metum, ut videtur, incendiorum.

§. 87. Ab hoc capite non aliena erit illa quæstio: An Doctor vel Studiosus tinctorem ex vicinia expellere possit? Ita puto, quia potest expellere omnes opifices, qui strepitu aut odore gravi studiis molesti sunt per rationes, quas vide ap. *Magnif. Dn.* STRYK. *de Jure Sensuum Dissert. III. c. 2 n. 10. sqq. & Dissert. V. c. 3. n. 26. seqq.* CARPZ. *P. 2. c. 37 d. 23.* FINCKELTH. *obs. 64.* RICHTER. *ad authent. habita C. ne filius pro patre Disp. 3. th. 2.* & præjudicia a Carpzovio, Finckelthusio & Richtero *dd. ll.* relata. Iam vero infectores & strepitu & graveolentia vicinis molestiam creant. Limitationes vero hujus assertionis vide apnd citatos Doctores, inter quas etiam est, nisi consuetudo loci moveat in contrarium. De qua tamen si sit dubium, merito pro Doctoribus & Studiosis erit pronunciandum. Eo enim jam seculo vivimus, ubi eruditis vix ullum privilegium salvum est, cui non detractum velint omnes. Unde si alibi præsidium desit, certe sententiam studiis faventem defendere debebunt JCti. *Magn. Dn.* STRYCK, *d. diss. 3. c. 2, n. 20.*

§. 88. Pictores (*vid.* §. 82.) in genere accepti, sunt, qui figuram seu effigiem alicujus rei lineis formare possunt. SCHEFFER. *de arte pingend.* §. 1. Horum varia sunt genera. Pingunt enim Phrygiones acu filisque diversicoloribus, Polymitarii & Barbaricarii radio textorio,

Emp-

Empeſtæ auro argentoque immiſſo in exſculptos ante ductus imagines quoſcunque referentes, Muſivarii teſſellis diverſicoloribus diſpoſitis immiſtiſque arenæ, Lignarii tabellis ligneis tenuioribus diverſo modo coloratis tabulæque pro imaginum ratione, exſculptæ immiſſis & glutine firmatis, Encauſtæ inuſtione cerarum, colorum aut vitri. Nemini tamen laus Pictoriæ vel rectius vel uſitatius tribuitur quam iis, qui colores inducunt chartis, tabuliſve ac Pictores proprie dicuntur, *Idem d. l.* §. 11. - - - §. 17. *p.* 42. *ſeqq.* Poſſemus de hujus artis pictoriæ laude, deque pictoribus utriuſque ſexus omnis ævi celebribus ac de honore & æſtimatione eorum apud ſummæ fortunæ homines plura differere, ſi chartæ anguſtia & propoſitus ſcopus permitteret. *Vide interim* CHASSAN. *catal. glor. mund. Part II. Conſid.* 44. *p. m.* 74. *ſeqq.* SCHEFFER. *d. l.* §. 6. *ſeqq. p.* 31. *ſeqq.* PETRUM MEXIA *in ſylva var. lect. l.* 1. *c.* 16. *p. m.* 66. *ſeqq. Adde Thom.* GARZON. in der Welt Schauplatz. *diſc.* 90. PETR. CRINIT. *l.* 1. *de honeſt. diſcipl. c.* 11. RHODIGIN. *lib.* 16. *antiq. lect. c.* 23. Communiter & Lucas Evangeliſta pictoribus annumerari ſolet, de quo tamen ex Berneggero dubitat Dietherr. *addit. ad Beſold. Theſ. pract. voce* Mahler *f. m.* 661.

§. 89. Jure Juſtinianeo conſtitutum deprehendimus *in l.* 8. *C demetat. & epidem. lib.* 12. quodpræter archiatros & magiſtros literarum pro neceſſariis artibus vel liberalibus diſciplinis etiam *picturæ* profeſſores (ſi modo ingenui ſunt) hoſpitali moleſtia (von Einquartirungen) quoad vivunt liberari debeant. Simile & imo majus privilegium in Codice Theodoſiano deprehendere licet. Jubent enim ibi Imperatores *l. ult. Cod. Theodoſ. de excuſ. artif. lib.* 13. *tit.* 4. picturæ profeſſores ingenuos neque ſui capitis cenſione, neque uxorum aut etiam liberorum nomine tributis eſſe, munificos, (hoc eſt *obnoxios vid.* TABOR. *de metat. & epidem. part.* 3. *c.* 2. *art.* 2. §. 11. *p. m.* 206.) Cujus diſpoſitionis ratio haud dubie fuit iſta, quod antiquitus ars pictoria liberalibus & ingenuis fuerit annumerata. Ita quippe Plinius *lib* 35. *nat. hiſtor.* §. 10. *Pamphili autoritate effectum eſt Sicyone primum, deinde in tota Græcia, ut pueri ingenui ante omnia diagraphicen, hoc eſt picturam in buxo docerentur, reciperetur que ars ea in primum gradum liberalium. Semper quidem honor ei fuit, ut ingenui eam exercerent, mox ut honeſti, perpetuo interdicto ne ſervitia docerentur.* Unde ſimul conſtat *cur in d. l.* 8. *Cod. Juſtin. & d. l. ult.*

ult. Cod. Theod. privilegia ad ingenuos restringantur. Patet simul, quod hodie immunitas pictorum apud nos non obtineat amplius, quia nimirum hodie ars pictoria liberalibus non solet accenseri, sed opificiis.

§. 90. Quamvis enim indistincte asserere nolim, Pictores veteres artificiosiores fuisse nostratibus *Dilherr. Tom. I. Disp. p.* 722. *vide.* FRANCISCI lustige Schaubühne *P. I.* erste Versamml. *p. m.* 180. de Albrechto Dürero vide DIETH. *add. ad Bes. thes. voce* Mahler *fol. m.* 661.) Certum tamen est, plerumque hanc artem hodie exerceri non famæ, sed famis sedandæ causa. Jam vero operas pictorias ad operas fabriles referendas esse, si ars pictoria non animi tantum causa exerceatur, docet Barbosa *l.* 14. *c.* 34. *ax.* 2. *arg. l.* 26. §. 12 *de cond. indeb. l.* 23. 24. *de op. libert. junct. l.* 1, *C. de excus. artif. & l.* 8. *C. de metat.* Quapropter & hic Lipsiæ pictores peculiare faciunt opificium, certisque utuntur articulis collegialibus, confirmatis a Divo Joh. Georgio II. an. 1668. mense Decembri, quorum hi sunt notabiliores. (1.) Sollen jährlich zwey Ober-Meister vorgestellet werden, die sich bemühen sollen, die zwischen Meistern und Gesellen entstandene Irrungen, die Innung betreffend, zu vergleichen, auch im Fall der Noth die Ubertreter um ein oder zum höchsten zwey Pfund Wachs zu bestraffen. Die übrigen Irrungen aber gehören vor den Rath oder die Stadt-Gerichte. (2.) Ein ieder, der allhier der Kunst und Mahlens sich gebrauchen will, soll anderer Gestalt nicht zugelassen werden, er habe denn von dem Rath (massen denn der Rath sich vorbehält fremden Kunst-Mahlern dergleichen Concession auf ein halb Jahr zu ertheilen) oder von der Mahler Innung, daß er daselbst Meister worden wäre, solches erhalten. (3.) Und zwar wenn es ein fremder Meister wäre (er komme aus einer Innungs-Stadt oder nicht) und der Rath ihn zum Bürger eingenommen hätte, der soll vor allen Dingen der Innung darthun, an welchen Ort er Meister worden, auch so dann dem Rath zum Respect eine beliebliche Historie die ihm angegeben werden wird, zu einen Kunststück verfertigen, in die Innung aber alsobald 20. Rthlr. erlegen, und denen Meistern eine Mahlzeit geben. (4.) Wäre es aber ein lediger Geselle, der soll zuförderst beyder Innung einen richtigen Lehr- und Geburts Brief vorzeigen, zum wenigsten zwey Jahr gewandert, und ein Jahr allhier gearbeitet haben, und noch ein Jahr alle

Märck-

Märckte einmahl muthen, alsdenn soll ihm bey der Innung, das Meisterstück zu machen, angedeutet werden, er auch alsdenn 20. Rthlr. und eine Mahlzeit geben. (5.) Er were dann eines Meisters Sohn allhier, oder heyrathete eines Meisters Tochter oder Wittib, alsdenn soll er nur einmahl muthen und 6. Rthlr. erlegen. (6.) Die Meister-oder Kunst-Stücke sollen seyn von Oel-Farben, eine Tafel zum wenigsten 3. Ellen hoch, oder wie hoch und breit selbige der Rath begehren wird. Das Kunst-Stück an sich selbst soll aus einer schönen Historie, oder was hierzu der Rath für gut befindet, wohl inventiret und verfertiget, auch ob es tüchtig oder nicht dem Judicio des Raths und der Meister untergeben, und auf den ersten Fall ohne entgelt auf den Rathhause gelassen werden. (7.) Ein Geselle so sich zuvor mit der Störer Arbeit beholffen, soll eher zu dem Handwerge nicht zugelassen werden, biß er sich zuvor bey der Innung abgefunden. (8.) Jedoch sollen diejenigen Personen, so anietzo in dieser Stadt der Mahlerey sich gebrauchen, als Mäurer und andere auf ihr Leben bey ihrer Possess des Mahlens, jedoch was sie selbst mit ihrer Hand verrichten, gelassen werden, dieselben aber keine Gesellen und Jungen annehmen. (9.) Eines Meisters Wittib soll, dafern keine Kinder vorhanden, macht haben ein Jahr Gesellen zu halten, hernach aber, da sie nicht wieder ins Handwerg freyen will, solches aufgeben: hätte aber der Mann Kinder gelassen, so soll der Wittib mit Ihnen oder redlichen Gesellen das Handwerg zutreiben, frey stehen, doch daß sie keine Lehr-Jungen aufnehme, und da gleich der Meister einen bey seinem Leben angenomen hätte, soll doch derselbe nicht bey ihr sondern bey einem andern Meister auslernen. (10.) Ein Lehr-Junge soll 7. Jahr, eines Meisters Sohn aber 10. Jahr ausstehen. (11.) Wenn ein Lehr-Junge entläufft, soll er zum Handwerge nicht wieder kommen, er lerne denn aufs neue, oder sey mit der Innung und dem Meister verglichen, oder sey von dem Rathe ein anders erkant. (12.) Es soll kein Meister mit einigen Gesellen auf halbe Arbeit oder Gedinge bey Straffe 10. Rthlr. in die Innung zu erlegen, arbeiten, sondern die Meister sollen mit dem Gesellen ums Wochenlohn übereinkommen.

§. 91. Pictorum effectus est pictura seu imago, quamvis imaginis vocabulum latius supponatur, quod sit formæ cum forma collatio cum quadam similitudine, cujus divisiones tradit HÖPPING. *de jure Insign. cap.* 19. *n.* 21. *seq.*

seq. f. 929. *seq.* Qui apud Romanos Jus Imaginum adepti fuerint, tradit idem *d. l. n.* 31. *seq. f.* 931. An quilibet privatus pro arbitrio sibi vel alii imaginem statuamque in publico ponere possit? quæritur. Negamus *per. l.* 1. *C. de stat. & imag.* Non obst. *l.* 2. *seq. eod. l. si. legatum* 5. *in princ. ff. de oper. publ. l.* 7. *ff. de ann. legat. junct. l.* 122. *in princ. de legat.* 1. *l.* 6. *in fine de aur. & arg. leg. l.* 17. *in fin. de usur. l.* 14. *de Cond. & demonstr. l. ult. ff. de loco publ. fruendo:* ad quos textus respondet Höpping. *d. l. n.* 40. *seqq. Conf.* SCHEFFER. *de arte pingendi* §. 50. *p.* 1920.

CAPUT III.

Usus coloris in Dominio & ultimis voluntatibus.

SUMMARIA.

Connexio §. 92. *Usus coloris in occupatione ferarum* §. 93. *in textura* §. 94. *specificatione* §. 95. *pictura* §. 96. *impensarum repetitione* §. 97. *communione.* §. 98. *oneribus feudalibus* §. 99. *servitutibus realibus* §. 100. 101. *& personalibus* §. 102. *pignore* §. 103. *testamento* §. 104. 105. *legatis* §. 106. 107. 108. 109. *& successione ab intestato* §. 110.

§. 92.

IN Jure rerum coloris usus etsi non sit adeo frequens, ut in Jure personarum, est tamen aliquis, quem pauciſſimis attingere ordo postulat. Dividitur autem Jus rerum communiter a Dd. in Jus in re & ad rem. Illud non aliud est quam dominium *l.* 25. *pr. ff. de O. & A. l.* 3. *pr. ff. de R. V.* §. 1. *I. de act.* Est autem Dominium vel rerum corporalium vel incorporalium *l.* 3. *ff. si usus fr. pet. l.* 15. §. 8. *ff. quod vi aut clam.* Dominium rerum corporalium acquiritur modis vel Juris Gentium vel Juris Civilis §. 11. *Inst. de R. D. pr. Inst. de Usuc.* Modi acquirendi Juris Gentium relati §. 12. *seqq. Inst. de R. D.* commode ad tria summa genera vocari possunt, occupationem & traditionem *Vid. Dn. Præs. not. ad. Strauch. diss.* 6. *th.* 27. *p.* 69.

§. 93. Occupantur feræ bestiæ per venationem earumque domini-

um

um amittitur iterum, cum noſtram evaſerint cuſtodiam & in libertatem naturalem ſe receperint. *d.* §. 12. *Inſt. d.t.* Quod ſi autem fera ſingulari aliquo *colore* prædita occupata ſit, quæ per iſtum colorem ab omnibus aliis feris ejusdem generis diſtingui poſſit, an & tunc per evaſionem ex poteſtate noſtra dominium ejus amittetur? Non puto per eā, quæ ex Grotio adducit Strauchius *diſſert. 6. th. ult. Conf. Dn. Præſ. ad Strauch. d. 6. th.* 28. *p.* 71.

§. 94. Ex materia acceſſionis ad præſens negotium ſpectat intextura *purpuræ* alienæ, quæ licet pretioſior ſit, tamen acceſſionis vice cedit veſtimento, domino vero purpuræ adverſus furem & ejus hætedes datur condictio furtiva, adverſus bonæ fidei poſſeſſorem condictio ſine cauſa §. 26. *Inſt. d t. arg. l.* 19. §. 13. *de aur. & arg. leg.* Similiter *ſi meam lanam feceris* purpuram, *nihilominus meam eſſe Labeo ait, quia nihil intereſt inter purpuram & eam lanam, quæ in lutum aut cœnum cecidiſſet atque ita priſtinum* colorem *perdidiſſet.* PAULUS *l.* 26. §. 3. *de A. R. D.* quem textum erudite exponit *Dn. D.* URSINUS *Diſp. de Lana n.* 40. *ſeqq.* ſimulque *ad L.* 70 §. *ult. ff. de Leg.* 3. reſpondet. Nec obſt. *d. l.* 70. §. 1. & 4. eod. ubi dicitur, quod ſub legato lanæ non contineatur tincta. Aliud quippe eſt tinctam lanam non eſſe lanam, aliud, non vocari. Sic charta, in qua ſcriptum eſt aliquid, manet charta, etſi non ſub nomine chartæ amplius veniat. Sic tabula, in qua pictum eſt, manet tabula, etſi picturæ nomine veniat. In materia autem acquirendi dominii ſpectamus rei eſſentiam magis quam voces. In ultimis voluntatibus autem maxime ſtudemus ſignificationi vocum, *conf. infra* §. 105.

§. 95. Si quis ex aliena materia *colorem* effecerit, plerumque fiet Dominus *arg.* §. 25. *Inſt. de R. D. l.* 7. §. 7. *de A. R. D. junc. l.* 5. *de R. V.* Plerumque enim, ſi non ſemper, ſpecies iſta ad priſtinam materiam, reduci non poterit. *Conf.* SCHEFFER *de arte pingendi* §. 53. *p.* 170. *ſeqq.* Porro cum *ſupra* §. 34. colores diſtinxerimus in humidos & ſiccos, humidi quidem ſive voluntate dominorum ſive abſque ea aut caſu confundantur, communes fiant §. 27. *Inſt. d.t.* Sicci vero, qui ex partibus majoribus conſtant, ita ut facile ſeparari queant, ac internoſci, tum ſi colores diverſi citra voluntatem domini unius vel utriuſque mixti fuerint, proprietas non communicatur *arg.* §. 28. *Inſt. eod.*

§. 96. De pictura prope res conclamata eſt, eam tabulæ cedere

§. 34 *d. t.* non obstante Pauli dissensione *l.* 23. §. 3. *de R. V.* frustra ab aliis cum *d.* §. 34. conciliata *Dn.* PRÆSES *d. l. ad th.* 49. *p.* 79. ubi etiam exponit quid sit actio utilis, quæ conceditur domino tabulæ adversus pictorem picturam possidentem *in d.* §. 34. *Conf.* RICHTER. *de signif. adverb. Voce pretiose p.* 667.

§. 97. Parit dominium rei vindicationem qua mediante rem suam consequitur dominus tam a bonæ, quam a m. f. possessore. Dantur tamen utrique & bonæ & malæ fidei possessori remedia quædam, quibus impensas in rem factas consequi possunt cum distinctione inter impensas necessarias, utiles & voluptuarias. *Vid.* STRAUCH. *disp.* 18. *th.* 1. 2. 3. *Dn.* PRÆS. *ad diss. 6. th.* 46. *p.* 78. Picturæ igiur ad quas impensas referendæ sint? quæritur. Ad voluptuarias, respondemus cum Paulo *l.* 79. §. 2. *de V. S.* quia speciem duntaxat ornant, non etiam fructum augent. Si ergo fructum augeant, erunt potius utiles quam voluptuariæ. Quapropter *in prædio urbano, si maritus cœnacula, quæ locari solent, picturis exornet, pictura erit utilis, non simpliciter voluptuaria. Tanto enim pluris cœnaculum locabitur quanto ornatius* ALCIATUS *ad d. l.* 79. §. 2. *de V. S. f. m.* 192. *conf. l.* 10. *ff. de impens. in rem dotal. fact.* Porro si picturæ sint voluptuariæ, neque tolli commode a re quæ vendicatur possint, annon abradere poterit possessor eosdem? Negat CELSUS *l.* 38. *d. R. V.* quia sine rei detrimento tolli nequeunt *l.* 30. §. 1. *de hered. petit.* tum quia malitiis hominum indulgendum non est *d. l.* 38. & denique quia possessor hoc saltem modo voluptuarias impensas tollere potest si futurum est ejus quod abstulit *l.* 9. *ff. de impens. dot.* Sed quid si puerum meum cum possideres erudiisses, forte quod pictorem docueris, aut ab alio doceri curaveris, an exceptionem doli mali mihi vindicanti opponere poteris ratione melioratonis & impensarum? Non existimat Proculus, quia neque carere servo meo debeam, nec potest remedium idem adhiberi, quod in area, id est non potest artificium iterum a servo tolli, uti forte pictura, quæ rei immobili non cohæret ab ædificio, aut ædificium ab area.) Quaproter non aliter officio judicis æstimationem habebis, quam si venalem eum habeam & plus ex pretio ejus consecuturus sim propter artificium, aut si ante denunciaveris mihi ut impensam solverem, & me dissimulante opposueris mihi doli mali exceptionem, *l.* 27. *in fine l.* 28. 29. *l.* 30. *ff. de R. V.* Quinimo si pictor apud te fuerit effectus servus meus,

post

poſt vigeſimum quintum (non ſine ratione Cujacius *lib.* 9. *obſ.* 18. legit: poſt *quintum* quia tunc operari incipit,) annum ejus impenſæ factæ poterunt penſari cum picturis ab eo apud te confectis *l.* 32. *ff. eod.*

§. 98. Accidit ſæpius ut aliqui in re corporali dominium commune habeant *t. t. ff. comm. divid.* In pariete igitur communi ſocius unus poteſt etiam altero invito picturas pretioſiſimas habere *l.* 13. §. 1. *de S. P. U.* quia per eas non fit aliquod damnum vicino, ſed toti ſocietati prodeſt ſaltem quoad ornamentum, & ideo Dd. concludunt, quod parietem communem unus ex ſociis poſſit etiam altero invito dealbare & depingere, & ſimilia ſuper eo facere. COEPOLL. *de ſervit. Part.* 1. *c.* 71. *n.* 1. 2. *p. m.* 209. Et porro ſi ſocius pulſet parietem communem v. g. ex cauſa imponendorum tignorum, & per pulſationem damnum fiat in picturis, aut, ſi aquam ducat per fundum communem, & propter humiditatem picturæ delerentur, tunc recte ſocius, qui picturas poſuit, pulſationem iſtam prohibere poterit, & cum altero ſocio agere, jus ipſi non eſſe flumina in parietem communem fluere, debet enim ſocius ita uti re communi ut non fiat damnum parieti communi *d. l.* 13. *pr. de S. P. U. l.* 13. *ſi ſerv. vindic.* COEPOLL. *d. l. n.* 6.

§. 99. Ex communi Doctorum ſententia Dominium eſt vel plenum vel minus plenum. Et hoc vel directum vel utile. Ad utile refertur Dominium Vaſalli, quod in re feudali habet, pro quo Domino directo ad ſervitia & onera feudalia eſt obſtrictus. In hujusmodi oneribus *color* quoque nonnunquam ſibi locum vendicat. Obligantur enim quandoque Vaſalli portare certo tempore ramum *viridem* & florigerum. Cenſus feudalis, qui ſingulis annis a Rege Neapolitano Pontifici Romano debebatur, fuit 8000. unciarum & aſturco ſive tolutarius equus *albus*. Sic & Epiſcopus Bambergenſis olim Pontifici annuatim offerre obligatus fuit equum *album* magnifice ornatum. Alii debent ſeniori ſuo offerre lanceam *albam*, alii par chirotecarum *albi* (ut præfectus Urſellenſium) vel alterius *coloris*. *Vide* LIMN. *tom.* 1. *addit. ad. lib.* 4. *c.* 7. *p. m.* 601. *ſeqq.*

§. 100. Dominium rerum incorporalium eſt vel univerſale vel particulare. *Magnif. Dn.* JAC. BORNIUS *Patronus noſter perpetua obſervantia colendus de Jure in re cap.* 2. §. 6. Inter particularia rerum incorporalium dominia potiſſimum eſt Dominium ſervitutis *Idem c.* 3. §. 2. Eſt autem ſervitus vel realis vel perſonalis.

§. 101. Quod ſervitutes reales attinet, fingamus caſum. Titius mercator vendens telas ſericas vel laneas, habet tabernam in ædibus ſuis ita comparatam, ut non multum lucis extrinſecus in eam incidat, aut lux ſpuria, quæ ad tegenda colorum in telis vitia maxime apta eſt. Huic vicinus ex oppoſito Cajus ædes ſuas vetuſtate obſoleti coloris obfuſcatas albare cupit & renovare. Quæ renovatio cum ingrata ſit futura Titio, timenti ne taberna ſua per repercuſſionem lucis, plus lucis inde accipiat, quam ipſe deſiderat, neque vero Cajo interdicere renovationem iſtam ædium poſſit, pactum de non renovando cum eo init, quod an ſubſiſtat? initio quæri poteſt. Et quod illicitum ſit, videri poſſet tum ideo, quia vergit contra utilitatem publicam municipii, cujus intereſt ædificia non derelinqui, unde prohibet jus civile, tignum alienum ex ædibus eximere *l.* 1. *ſeq. ff. de tigno juncto*, unde porro prohibet, ne quis impediat opus facere volentem qui ſatis dedit *l.* 20. §. 10. *de N.O. nunciat.* tum quia *per. Ord. Polit. de ann.* 1577. *tit.* 21. §. 6. *aperte conſtitutum eſt.* Als auch an den Gewand-Laden und andern Krämen groſſe Täche und Plawen gemacht und angehenckt, dadurch die Farben und Faden der Tücher und anderer Wahren geblendet werden, daß man ſie nicht wohl erkennen mag; Wollen wir, daß ſolche Täcker und Plawen abgethan, und von den Obrigkeiten nicht geſtattet oder geduldet werden ſollen, damit der Käufer unbetrogeu bleibe: ex quo aliquis inferre poſſet, quod nec hujusmodi pactum, quod præſuppoſuimus, in fraudem emtorum iniri poſſit. Verum hls non obſtantibus pactum ſubſidere arbitror. Poterit quippe ad rationes dubitandi facili negotio reſponderi; ad illam quidem, favotem ædificiorum eſſe aliquem, ſed non tantum, ut propterea omnia pacta libertatem ædificandi reſtringentia pro illicitis habeantur, alias enim & illicita eſſet ſervitus altius non tollendi; ad hanc vero: a diverſis male inferri, dictamque ordinationem politicam tanquam pœnalem, eſſe odioſam, adeoque ad caſum noſtrum extendi non poſſe. Producet autem pactum ejusmodi ſervitutem (etiamſi perſonaliter conceptum v. g. ne Cajus ædes ſuas dealbet, *arg. l.* 9. *ff. de probat. l.* 13. *C. de contrab. ſtipul. vide* CARPZ. *Part. II. conſt.* 41. *def.* 14.) & quidem urbanam, tum quia ſervituti altius non tollendi eſt proxima, tum quia mercatorum ad prædia urbana refetur.

§. 102. Inter ſervitutes perſonales eſt uſusfructus & uſus. Quod ſi alicui

si alicui ususfructus Baphii eines Färber-Hauses relinquatur, baphium vero istud junctum sit ædificio, an habitare possit usufructuarius, aut fructus ex ædibus percipere, quæritur? Non arbitror, quia principale non sequitur accessorium. Principale autem sunt ædes, baphium accessorium. Vice versa igitur si ædificii ususfructus, cui junctum sit baphium, mihi relictus sit, & fructus ex baphio tanquam accessorio potero percipere. Si usus baphii relinquatur, puto usuarium eam utilitatem inde percipere, ut telæ sive linteæ sive laneæ, quibus ipse cum uxore & liberis, quos in potestate habet (non etiam famulis & ancillis, quia sublatum est jus servitutis) loco vestimentorum uti vult gratis intingi debeant, *arg. t. t. ff. de usu & habit. Si ædium ususfructus legatus sit: Nerva filius & lumina immittere eum posse ait, sed* & colores & picturas *marmora poterit & sigilla, etsi quid ad domus ornatum:* Quod approbat ULPIANUS *l.* 13. §. 7. *de usufructu.* Et ex hoc infert COEPOLLA *de servit. Part.* 1. *c.* 71. *n.* 7. usufructuarium vel inquilinum posse in domo usufructuaria vel conducta facere depingi insignia sua, quæ vulgo arma dicuntur *arg d. l.* 13. §. 7. quia per hoc non videatur deterior fieri res, aut mutari ejus substantia, & proprerea in picturis, quæ facile deleri possunt, hæc sententia procederet, secus si vellet sculptas in lapidibus ponere. Sed si fatendum quod res est, illa opinio quidem *ex d. l.* 13. §. 7. non videtur deduci posse. Nego enim quod a picturis in genere ad insignia in specie valeat consequentia, cum in insignibus sit specialis ratio prohibitionis. Appositio quippe insignium regulariter eam ob rationem fit, ut denotetur ad quem rei alicujus dominium spectet. Ergo quemadmodum nemo in re sua poterit insignia aliena ponere, per ea quæ notavimus supra §. 76. ita & nemo poterit in re aliena Insignia sua vel sculpere *arg. l* 1. *C. ut nem. liceat sine jud. aut. vid.* EYBEN. *in not. ad Perez. in Cod. tit. de his qui potent. nom. tit. præd. affigunt. p. m.* 149. Accedit quod etsi liceat usufructuario facere, quæ ad ornatum earum spectant, appositio tamen vel pictura insignium principaliter propter ornamentum ædium non fit, sed propter indicium Dominii. Ad inquilinum vero plane nullum ex *d. l.* 13. §. 7. potest duci argumentum, cum ab usufructuario ad illum, ob insignes inter eos differentias nulla valeat consequentia. Affines sunt præcedenti illæ quæstiones: *An possim prohiberi si velim in Ecclesia v. g. crucifixum depingere?* Item: *an privatus vel etiam Magistratus inferior possit pingere insignia sua in ædificio publico?* Item: *An ille, cujus pecunia opus aliquod publicum*

cum v. g. Ecclesia, monasterium &c. exstructum est, possit insignia sua ibi depingere? Et an possint Clerici illa delere aut alia imponere? quas tractat COEPOLLA *d. l. n.* 6. 8. 9. 10. *Adde* EYBEN. *d. l.* ad quos remittimus Lectorem.

§. 103. Post Dominium servitutis sequitur Dominium pignoris: *Magnif. Dn.* ORDIN. *de jure in re c.* 4. §. 3. *&* 4. Creditores herbæ Isatidis die Waidgäste, non solum pignus, ut videtur, tacitum, sed etiam prælationis jus habere in bonis tinctorum debitorum suorum indicat DIETH. *in Besc. contin. voc.* Farben *f. m.* 196. citatque eam in rem *J. H. Wurffbain differentias juris civilis & Refor. Nor. p.* 259. quem tamen ad manus non habeo.

§. 104. Dominium rei incorporalis universale est dominium Juris hæreditarii. *Magn. Dn.* ORDINAR. *d. l. c. ult.* Venit autem Jus hæreditarium vel ex testamento vel ab intestato §. *ult. Instit. per quas pers. cuique acquir.* In ultimis voluntatibus variæ sunt controversiæ, in quibus materia coloris usum præbet. Initio enim ratione testatoris quæri potest: Si quis moriens jusserit cadaver suum sepeliri cum tubis & cantibus, & familiam suam indui colore *rosaceo* anis testator pro homine sanæ mentis præsumi debeat? Refert hujusmodi casum prolixe ex Castrensi Menochius *lib.* 6. *præsumt.* 45. *n.* 41. 42. nescias tamen, quid ipse de eo statuat, modo enim dicit testatorem illum non fuisse insanum & dementem, sed aliquantulum fatuum, vel glorioſum, modo accedit Castrensis opinioni, Doctorem illum pro stulto & insano judicantis. Refert & tertiam opinionem Romani, Alex. & Boerii, pro sapiente testatorem habentium. Nos paucis opinamur: ipsam dispositionem de modo sepeliendi esse ineptam adeque non valere *arg. l.* 113. §. 5. *de legat.* 3. *l.* 27. *pr. ff. de condit. instit.* Sed an ipsum testamentum valeat in reliquis? pro nobis respondebit MODESTINUS *d. l.* 27. *pr. Hoc prius inspiciendum est, ne homo, qui talem conditionem posuit, neque compos mentis esset. Igitur si perspicuis rationibus hæc suspicio amoveri potest, nullo modo legitimus heres de hereditate controversiam faciet scripto heredi.* Erit ergo contra testatorem præsumtio non juris quidem & de jure, sed juris saltem, atque adeo si hæres scriptus non probet contrarium, testamentum corruet. *l.* 9. *c. Qui test. fac. poss.*

§. 105. Inter Privilegia militibus ratione testamenti factionis con-

cessa,

ceſſa, eſt & illud, ut ſi quid in vagina aut clypeo literis ſanguine ſuo *rutilantibus* adnotaverint ipſo tempore, quo in prælio vitæ ſortem derelinquant, hujusmodi voluntatem ſtabilem eſſe. *l.* 15. *C. de teſtament. milit.*

§. 106 In materia Legatorum initio quæritur de legata *lana, an* etiam ſub ea contineatur lana tincta? Negat ULPIANUS *l.* 70. *pr. de Legat.* 3. *Si cui lana legetur, id legatum videtur quod tinctum non eſt, ſed αὐτοφυὲς id eſt ſponte natum Conf. §.* 4. *&* 12. *eod.* Affirmat contra PAULUS *l.* 32. §. 6. *ff. de aur. & arg. egat.* Cujus mens ut fiat manifeſtior, addemus ſtatim verborum periphraſin. *Labeo*, inquit, *teſtamento ſuo Neratiæ uxori ſuæ nominatim legavit veſtem, mundum muliebrem omnem, ornamentaque muliebria omnia, lanam, linum, purpuram, verſicoloria facta imperfectaque omnia, & cætera.* Quæritur jam: an ſi vox VERSICOLORIA non fuiſſet adjecta, ſub lanæ nomine etiam verſicoloria peti potuiſſet? Ratio dubitandi pro negativa eſt illa, quia alias haud dubie Labeo lanæ voce fuiſſet contentus, neque adjeciſſet: VERSICOLORIA. Qua tamen ratione non obſtante reſpondet Paulus: deberi verſicoloriam, quia hæc verba Labeonis ſint tanquam ſuperflua. *Sed non mutat*, pergit, *ſubſtantiam rerum non neceſſaria verborum multiplicatio.* Adeoque non poſſe dici lega-ta lana ſimpliciter, tinctam non deberi, *quia Labeo teſtamento lanam ac deinde verſicoloria ſcripſit*, neque etiam putandum eſſe *quaſi deſit lana eſſe (vid. l.* 19. §. 13 *eod. tit. Conf. ſupra* §. 94.) ſed imo etiamſi aliquis tertius lanam ſimpliciter *detractoque verbo*: *verſicoloria* legaverit, *nihilominus etiam verſicoloria debebuntur, ſi non appareat* ex circumſtantiis aliunde quam ex his verbis defumtis *aliam defuncti voluntatem fuiſſe.* Puto hanc explicationem Pauli optime ejus verbis convenire. Unde probare nequeo, quod GLOSSA *add l.* 32. §. 6. arbitratur, in quæſtione fuiſſe: an ſola lana verſicolor deberetur uxori an vero etiam nativa? Nam ſi hæc fuiſſet quæſtio, longe aliis decidendi rationibus Paulum uti decuiſſet: Quemadmodum enim gloſſa pro ratione dubitandi affert, quod per additionem vocis, *verſicoloria* videatur teſtator legatum reſtringere voluiſſe: Ita pro ratione decidendi facillime reſponderi potuiſſet, imo contextum oratio-nis monſtrare verba ſuperflua addita potius fuiſſe, ad conteſtandam eni-xam relinquendi voluntatem, & conſiderari aliter quam ut ampliativa non poſſe. Debuiſſet etiam ſaltem uno verbo Paulus deciſionis: & quod præter verſicoloriam debeatur etiam lana nativa, mentionem facere. Alii,

ut Ulpianum cum Paulo concilient, dicunt: *in dubio* quidem ſub legato lanæ non contineri tinctam per tradita ab Ulpiano *d. l.* 10. *pr.* Quod ſi vero vel ex re ſubjecta vel aliis circumſtantiis reluceat voluntas teſtatoris alia, potius voluntati quam verbis ſtandum eſſe, id quod cum in ſpecie facti *d. l.* 32. §. 6. manifeſto appareret, JCtum Paulum ad lanæ legatum verſicoloria referenda eſſe optime ſtatuiſſe. *Vid. Dn.* URSINUM *de lanac.* 5. *n.* 4. 5. In qua expoſitione ſubſiſterem & ego, niſi verba ultima *d.* §. 6. *l.* 32. *detractoque verbo &c.* aperte contrarium oſtenderent, & Paulum nimirum voluiſſe etiam *in dubio*, & ſi alia voluntas defuncti non appareat, ſub nomine lanæ contineri tinctam. Sed quid conjecturis eſt opus? cum ipſe Paulus mentem ſuam perſpicue explicet *ſent. l.* 3. *tit.* 7. *n.* 81. *p. m.* 64. *Lana legata ſive ſuccida ſive lota ſive pectinata ſive* verſicoloria *legato cedit: Purpura vero aut ſtamen ſubtegmenve hoc nomine non continentur.* Quapropter, uti Ulpianus & Paulus alias ſibi ſæpe ſunt contrarii vid. *Dn.* PRÆSID. *ad Strauch. diſſ.* 19. *th.* 5. *p.* 215. ita firmiter ſtatuo, in his duabus legibus manifeſtam eſſe opinionum pugnam: Ulpiani autem ſententiam, ſi ea cum uſu illorum temporum conveniat, vetiorem eſſe, contraque eam nihil facere rationes Pauli, utpote cum in ultimis voluntatibus non tam ad rerum eſſentias quam ad voluntatem teſtatorum reſpiciamus. Conf. §. 94. Et ergo hodie quoad mores noſtros in exponenda ſimili quæſtione ſemper reſpiciendum erit ad modum loquendi, qui in illo loco, ubi teſtator per vitam commoratus eſt, obtinuit. De *lino* teſtatur Ulpianus *d. l.* 70. §. 11. aliud in eo eſſe quam in lana. *Et quid ſit tinctum linum ſit, credo* inquit, *lino continebitur.*

§. 107. Quid ſi *purpura* legata ſit. Reſpondet idem ULPIANUS *d. l.* 70. § *ult. Purpuræ appellatione omnis generis purpuram contineri, ſed coccum* (Scharlach) *non contineri, fucinum* (*vel Buccinum*, quod eſt genus purpuræ minoris. GOTOFR. *hic lit. g.*) *& janthinum vid.* GOTOFR. *ibid. lit. b. contineri. Purpuræ appellatione ſubtegmen factum contineri, lanam tingendæ purpuræ cauſa deſtinatam non contineri, quia ſcilicet nondum eſt purpura.* Quid ſi legata ſint *verſicoloria*? etiam definit Ulpianus *d. l.* §. 12. *Conſtare apud veteres lanæ appellatione verſicoloria non contineri* (vel magis convenienter ad rem præſentem: verſicolorium appellatione lanam non contineri) *ſed ea omnia videri legata quæ tincta ſunt, & neta quæ neque detexta, neque contexta ſunt. Proinde quæri: an*

purpu-

purpura appellatione verſicolorium contineatur, & ſe arbitrari, ea quæ tincta non ſunt, verſicoloribus non annumerari, & ideo neque album neque naturaliter nigrum contineri, niſi aliud ſenſerit teſtator. Alia quæſtio. *Cum quidam libertum ſuum in Aſiam miſiſſet ad purpuras emendas & teſtamento uxori ſuæ* lanam purpuream *legaſſet, pertinere ad eam ſi quam purpuram vivo eo libertus emiſſet, Servius reſpondit* & approbavit PAULUS *l.* 4. *ff. de auro argent. leg. Conf.* ULPIAN. *l.* 49. §. 3. *de Legat.* 3. *l.* 58. *eod.*

§. 108. Legato *veſtimento* & clavi aurei ac *purpuræ* (in eſt clavi purpurei. GOTHOFREDUS *lit. p.*) cedunt tanquam pars veſtimentorum *l.* 19. §. 5. *de aur. & arg. leg.* & *picturæ* quæ his inſitæ ſunt *l.* 23. §. 1. *eod.* Legata uxori veſte *purpurea* (certa) quæ ejus cauſa emta paratave eſſet, debet heres veſtem illam tradere, etiamſi neque emta, neque in uſum ei data ſit, quia certo corpore legato demonſtratio falſa legatum non perimit *l.* 10. *ff. eod.* (Unde ſi quis equum *morellum* legaverit, & tamen relinquat ſaltem equum album, albus præſtari debet legatario, *arg. l.* 4. *ff. de legat.* 1. *vid. Hippol.* BONACOSSAM *de equo quæſt.* 81. *ap.* SPEIDEL *in ſpecul. voce* Pferdt *f. m.* 988. MANTICAM *de Conject. ult. volunt. l.* 9. *tit.* 3. *n.* 16.) *Titia mundum muliebrem Septiciæ legavit, ea putabat ſibi legata & ornamenta & monilia - - - & veſtem tam* coloriam (id eſt veſtem coloris nativi *vid.* §. *præced.*) *quam* verſicoloriam. *Quæſitum eſt, an hæc omnia mundo continerentur?* SCÆVOLA *reſpondit, ex his quæ proponerentur duntaxat argentum balneare mundo muliebri contineri,* approbante PAULO *l.* 32. §. 7. *de aur. & arg. Conf. eund.* PAULUM *lib.* 3. *ſentent. tit.* 7. *n.* 82. *p. m.* 64. ULPIANUM *l.* 25. §. 10. *de aur. & arg. leg.*

§. 109. In legatis *imaginum*, ſi heres imaginem legatam deraſerit & tabulam ſolverit, durat actio ex teſtamento, quia legatum imaginis non tabulæ fuit. PAPIN. *l.* 12. *eod.* Si quis pictore herede inſtituto, alicui tertio imaginem heredis quam optaverit legatarius, legaſſet, hic vero artis pictoriæ eſſet ignarus, velit tamen optimam Imaginem eligere, ſimili dolo bono uti poterit, quo Phryne, quæ cum ab Apelle poteſtatem obtinuiſſet, optimam omnium picturam eligendi, illa autem artem non ſatis adjudicare ſciret, inſtruxit famulum, qui occurens Apelli nunciaret, officinam pictoriam cum omnibus *picturis* incendio

cconflagraſſe. Tremens Apelles, cum rogaret, numne imago Cupidinis ſalva ſervataque eſſet? ex illo percepit Phryne, illam eſſe pretioſiſſimam. *vid.* DIETHERR. *in Beſold. Cont. voce* Mahler *f.* 420 *Inſtrumento pictoris* legato ceræ, *colores*, ſimiliaque horum legato cedunt, item peniculi & cauteria & conchæ. MÆCIANUS *l.* 17. *de inſtruct. vel inſtrum. leg.* & temperandorum *colorum* vaſa. PAULUS *lib.* 3. *ſentent. tit.* 7. *n.* 61. *p. m.* 63. (ubi obiter notes, ceras & colores eſſe diverſa, neque adeo ceras antiquis ſumi pro coloribus, quod putat FABER *in Theſauro voce cera. Conf.* §. 1. aliud enim ſunt ceræ coloratæ aliud colores ipſi, *Conf.* SCHEFFER *de arte pingendi* §. 16. *p.* 54. *ſeqq.*) *Suppellectili* legata non continentur imagines *arg. l.* 6. *&* 7. *ff. de ſuppellect. legata* & ita reſponderunt Domini Scabini Lipſienſes apud CARPZOV. *lib.* 6. *reſp.* 34. *n.* 26.

§. 110. In ſucceſſionibus ab inteſtato Jure Saxonico ſexus fœminus hoc habet præcipui, ut ſuccedat in Gerada. Quæritur itaque an ad Geradam ſpectent *imagines* Principum aureæ a catenulis dependentes Fürſtliche Bildniſſe und Contrefaiten? Dici equidem poſſet, haſce communiter viris donari, iiſque ſingularem aliquam Principis gratiam demonſtrari, adeoque ad ornatum virilem comparatas heredibus ejus cedere. Attamen cum nihil prohibeat, eas & fœminis a Principibus donari, vel ſaltem jure ſucceſſionis a patre in filias transferri: quin & viri quandoque munuſcula hæc Principum uxoribus offerre ſoleant, aut ſaltem hiſce uxores ornari permittant, utique ſi in mulieris poſſeſſione fuerint repertæ, ad geradam hujusmodi imagines referri debent, non ſolum, quod ex cauſa poſſeſſionis Dominium Geradæ in rebus ad ornatum pertinentibus præſumatur, ſed &, quod maritus imagines illas poſſeſſioni ac cuſtodiæ uxoris committens, eas donare cenſeatur neque donatio illa ſit prohibita. Et ita reſponderunt Domini Scabini Lipſienſes *ap.* CARPZ. *lib.* 1. *reſp.* 95. *n.* 12. *ſeqq.*

CAPUT IV.
Usus coloris in Contractibus & quasi Contractibus.

SUMMARIA.

Continuatio §. 111. Usus coloris in mutuo §. 112. stipulatione §. 113. emtione venditione §. 114. locatione conductione §. 115. contractu do tu facias §. 116. condictione indebiti. §. 117. cautione damni infecti §. 118.

§. 111.

JUs ad rem oritur aut ex contractibus, aut ex delictis. Contractus sunt vel veri vel quasi contractus. Veri vel nominati vel innominati. Illi vel reales vel verbales vel literales vel consensuales.

§. 112. Inter reales primus est *mutuum*. Colores essentialiter ac formaliter acceptos *vide supra* §. 15. objectum mutui esse nemo dubitabit, cum illi pondere constent, eorumque usus consistat in abusu. *l.* 2. §. 1. *de R. C.* Licebit igitur, uti in reliquis rebus mutuo datis, & hic usuras stipulari Sed an graviores? Licitum id esse oleo mutuo dato statuit Pancirollus citatus a DIETHERRO *Besold. Contin. voce* Oel. *f.* 469. Videri ergo posset quandoque & coloribus mutuo datis licere usuras graviores stipulari, præprimis si oleo sint præparati Oelfarben. Quicquid tamen de oleo sit (nam Pancirollus ad manus non est) in coloribus mihi id non videtur.

§. 113. In *stipulationem* etiam deducuntur certæ operæ, veluti *pictoriæ*, fabriles, quæ peti quidem non possunt nisi præteritæ (quando vero dicantur præteritæ, explicat VLPIANUS *l.* 13. §. 2. *de op. libert.*) quia etsi non verbis attamen reipsa inest obligationi tractus temporis, sicuti, cum Ephesi dari stipulemur, dies continetur. Et ideo inutilis est hæc stipulatio: operas tuas *pictorias* centum hodie dare spondes? Cedunt tamen operæ ex die interpositæ stipulationis. Sed operas quas Patronus a liberto postulat confestim non cedunt, quia id agi inter eos videtur, ne ante cederent, quam indictæ fuissent; Scilicet quia ex commodo patroni libertus operas edere debet. Quod in fabro vel pictore dici non conve-

 nit

nit (id est operæ officiales non ante cedunt, quam a Patrono indictæ fuerint, fabriles statim post stipulationem *vid. l.* 22. *pr. eod.*) JULIANUS *l.* 24. *ff. eod.* Porro sicut fabriles operas quis potest sibi aut Titio stipulari, ita patronus a liberto operas fabriles aut *pictorias* recte stipulatur & libertus obligatione solvetur, si tales operas extraneo dederit, quales patrono præstando liberaretur. Denique si libertus faber aut *pictor* fuerit, quamdiu id artificium exercebit, has operas patrono præstare cogitur. IDEM *l.* 23. *pr. eod.*

§. 114. In consensualibus contractibus eminet emtio venditio. In Erfordia certi reperiuntur vulgo Waid-Junckern, qui herba, vulgo Waid oder roth damit man färbet, negotiantur. DIETHERR *ad Besold. voce* Farben *f.* 251. *ex* SPRENGERO, haud recte ut puto. Est enim color herbæ Isatidis der Waidfarbe non species coloris rubri, verum cærulei. *vid. supra §.* 19. In *reformat. Polit. de anno* 1530. *tit.* 20. prohibitum legimus: daß nach Endigung dieses Reichs-Tages kein gefärbter, sondern allein weisser ungefärbter Ingwer im Reich feyl gehabt oder verkaufft werden soll, bey Verlierung desselben Ingwers. Venditis ædibus an imagines & picturæ cedant? quæritur. Distinguendum est: aut poterunt commode ab ædibus separari, ita ut per hanc separationem ædes nullum patiantur damnum, aut non poterunt. Hoc casu cedent *arg. l.* 17. §. 5. *de act. emt.* non tamen illo *l.* 245. *de V. S. ibique* ALCIATUS. Sed an etiam remedium *legis* 2. *C. de rescind. vend.* locum habebit in venditione picturarum? In picturis vulgaribus nullum est dubium ib habere locum. At in picturis excellentium artificum non arbitror, cum harum pretium non tam sit ex re ipsa desumtum, quam picturarum raritate & affectione hominum, adeoque læsio ultra dimidium probari nequeat, *arg l.* 26. §. 12. *de condict. indeb. verbis: & ideo nec volens: item: recipiunt æstimationem &c.* unde infinita prostant exempla picturarum pro maxima pecuniæ summa venditarum, quæ collegit SCHEFFER *de arte pingend.* §. 7. p. 34. *seqq.*

§. 115. Neque locum habebit idem remedium, si quis *conducens* operas pictoris excellentis putet se in pensione mercedis aut discipulus in solutione aut promissione didactri læsus esse. De Eupompo PLINIUS *l.* 35. *c.* 10. *Docuit neminem minoris talento annis decem, quam mercedem*

& Appelles & Melanthius ei dedere (quem locum exponit SCHEFFER. *d l.* §. 67. *p.* 200.) Et ergo quoniam correlatorum eadem est ratio, nec pictor in hoc casu potest recedere a contractu, & remedio *l.* 2. uti, præprimis si jam præstiterit operas. *Ea quippe est causa operarum, ut non sint eædem, neque ejusdem hominis, neque eidem exhibentur, nam plerumque robur hominis, ætas temporis oppurtunitasque naturalis mutat causam operarum & ideo nec volens quis reddere potest* (id est non recipiunt æstimationem *argumento verborum sequentium*) *l.* 26. §. 12. *de cond indeb.* Tinctoribus certa merces præscripta est Jure Sax. Electorali quam vide *Part.* 1. *Corp. Sax. f.* 420. *seq.* in der Tax-Ordnung *voce* Schwartzfärber. Utinam vero taxa illa sapientissime præscripta hodie observetur.

§. 116. Inter contractus innominatos est etiam Contractus, *do ut facias.* Circa hunc se obtulit casus sequens: Titius vendidit Sempronio ædes pro 450. thaleris, hac tamen lege ut Sempronius pecuniam numerare non teneretur, sed pro pretio laborem *in tingendis* pannis solita pensione præstare. Sed postea emptor voluit recedere a contractu, prætendens, in hoc contractu non fuisse veram emtionem, sed negotium innominatum in quo locum habeat pœnitentia, tum quia pretium non constiterit in pecunia numerata, tum quia ad venditionem rerum immobilium requiratur consensus judicialis. Sed contrarium tamen fuit responsum a Dominis JCtis Francofurtensibus (1) quia hic vera fuerit æstimatio & verum pretium, & modus solvendi tantum alteratus per conventionem. (2) Quia Jure Saxon. ad transferendum Dominium requiratur quidem ratificatio judicialis, non vero ut non sit perfectus contractus, ideoque ante ratificationem pœnitentiam excludi per tradita a CARPZOV. *p.* 2. *Const.* 32. *def.* 14. *vide* BRUNNEM. *cent.* 4. *decis.* 82.

§. 117. Ad quasi contractus spectat *condictio indebiti*, qua utitur etiam libertus, si operas patrono exhibuit non officiales sed fabriles veluti *pictorias.* Nam etsi quædam operæ ita sint comparatæ, ut eas nec volens quis reddere possit, nec propter dignitatem suam æstimationem earum (*vid.* §. 115.) hæ tamen operæ recipiunt æstimationem, & interdum licet aliud præstemus, aliud tamen condicimus, ut puta fundum indebitum dedi, & fructus condico, vel hominem indebitum, & hunc sine fraude modico distraxisti: nempe hoc solum refundere debes; vel meis sumtibus pretiosiorem hominem feci: nonne æstimmari hæc debent? Sic

& in proposito condici possunt operæ pictoriæ, quanti nimirum patronus eas fuisset conducturus. ULPIANUS *ex* CELSO *l.* 26. §. 12. *de cond. indebiti.*

§. 118. Ex quasi contractu obligatur etiam aliquis ad præstandam *cautionem de damno infecto vid. Du.* PRÆSID. *Philos. Juris* §. 136. Cautio hæc si præstita, & postea vitio ædium vicinarum damnum mihi datum fuerit in *picturis meis*, an & harum æstimationem cavens mihi restituere debeat? quæro. Respondet PROCULUS *l.* 13. *ff.* 1. *ff. de Servit. præd. urb.* *Non pluris quam vulgaria* (ist est quæ vulgo habentur nec picta sunt) *tectoria æstimari debere parietes ejusmodi in quibus pretiosissimas picturas haberem.* Ergo nihil pro pretiosissimis istis picturis accipiam a victno? quod sane durum est. Æquiorem se præbet ULPIANUS *l.* 40. *pr. ff. damni infecti*, aliquod solatium concedens domino damnum passo. *Ex damni infecti*, inquit, *stipulatione non oportet infinitam vel immoderatam æstimationem fieri, ut puta ob tectoria & ob picturas. Licet enim in hæc magna erogatio facta sit, attamen ex damni infecti stipulatione* moderatam *æstimationem faciendam; quia honestus modus servandus est, non immoderata cujusque luxuria subsequenda.* Scio equidem casum hujus loci a Glossa ibidem ita formari, quasi plane non æstimari debeat damnum in pictura datum, forte ut antinomiæ locus non detur, sed ita Ulpianus cum Proculo aperte conveniat. Verum istam Glossæ interpretationem non patitur vox *moderatæ* æstimationis, quæ utique est æstimatio aliqua. Quapropter aliunde ratio conciliandi hos duos textus nobis erit conquirenda. Et nimirum ex iis quæ *supra* §. 97. notavimus: picturas modo ad impensas utiles, modo ad voluptuarias esse referendas. Hoc casu nihil debet resarciri secundum verba Proculi. Illo vero casu vicinus quidem non immoderatam earum, si pretiosissimæ sint, æstimationem restituet, sed moderatam, quanto nimirum pluris poterat cœnaculum, in quo picturæ erant, locari. Quæ videtur esse mens Ulpiani.

CAPUT

CAPUT V.
Usus coloris in delictis & poenis.

SUMMARIA.

Continuatio §. 119. *Usus coloris in injuria verbali* §. 120. *& reali* §. 121. *furto & Lege Aquilia* §. 122. *crimine læsæ majestatis divinæ* §. 123. *& humanæ* §. 124. *delictis extraordinariis.* §. 125 *pœnis* §. 126.

§ 119.

DElicta sunt vel privata vel publica vel extraordinaria. Privata sunt furtum, rapina, injuria & damnum Legis Aquiliæ.

§. 120. *Injuria* est vel realis vel verbalis. *Verbalem* injuriam committi putamus, si quis aliquem contumeliæ causa appellet ruffum, einen Rothkopff *arg. l.* 1. *pr. l.* 15. §. 5. *ff. de injur.* Idem erit dicendum, si quis alterum appellaverit contumelioſe einen Blauſtrumpf. Solemus enim per hanc vocem proditores insignire.

§. 121. Ad *reales* injurias refero (1) Si quis privata autoritate colores ab alterius insignibus aliquo in loco publico vel privato depictis abradat. *vide* HÖPPING. *de jure Insign. c.* 14. *n.* 100. & 104. *f. m.* 795. *seqq. Conf.* COEPOLLAM *de servit. part.* 1. *c.* 71. *n.* 10. *p. m.* 210. (2.) Si mercator tabernæ suæ vel caupo diversorio præfigat insignia similima alienis HÖPPING. *d. l. n.* 114. *f.* 796. *conf. supra* §. 75. *seqq.* (3) Si quis picturam in contumeliam alterius conficiat. Cujus rei exemplum retulit *Dn.* PRÆSES *ad Strauch. diss.* 19. *thes.* 14. *p.* 258. Similiter memini me legisse, quod sartor aliquando rogaverit pictorem, ut super ejus insignibus (quæ apud nos publice ædibus affigi solent) pingeret duos leones, pedibus suis forficem sartoriam tenentes. Pictor vero ut contumelia afficeret sartorem, pinxit primo in scuto duos capros coloribus oleo temperatis, quibus superinduxit duos leones, sed coloribus aqua præparatis pictos. Cum ergo ob anni tempestatem frequenter plueret, non diu post diluto leonum colore apparuere capri. Aliud exemplum huic non absimile narrat FRANCISCI in der lustigen Schaubühne *part.* 1. erster Versammlung *p.* 140. Notatur hoc delictum per *recessum*

Imperii 1524. §. 28. *f. m.* 185. *Ref. Polit.* 1548. *tit.* 34. *f. m.* 470. item per *Conſt. Elect. Saxon.* 44. *part.* 4. (4.) Senatuſconſulto cavetur, ne quis *Imaginem* Imperatoris in invidiam alterius portaret, & qui contra feciſſet in vincula publica mitteretur. SCÆVOLA *l.* 38. *de injur.* Sed quid hic eſt, portare imaginem ad alterius invidiam? Rem explicat CALLISTRATUS *l.* 28. *§.* 7. *de pœnis. Conf. omnino* TACITUM *l.* 3. *Annal. cap.* 36. *ibique* LIPSIUM *in notis.* (5.) Uti veſte lugubri aut ſquallida vel ſordida in invidiam alterius pro injuria habetur *l.* 15. §. 27. *de injuriis l.* 39. *eod.* Veſtem autem ſordidam explicat GOTHOFREDUS *ad d. l.* 39. *lit. p. candidam* quidem ſed obſoletam non tamen pullatam. (16.) Quid ſi vero Pictor debeat hominem deformem delineare, v. g. monoculum. An & tunc injuriæ reus erit, ſi deformitatem artificioſe exprimat? Non arbitror. Præſumeretur enim potius animus injuriandi, ſi mentiendo pulchritudinem deformitatem ei tacite exprobraret. Poterit tamen tuto & prudenter vitium formæ diſſimulare & abſcondere, Apellem imitatus, imaginem Antigoni latere altero tantum oſtendentis, ut amiſſi oculi deformitas lateret. *Vide* SCHEFFER. *de arte ping. pag.* 103. & 210.

§. 122. Cum eo qui pannum *rubrum* oſtendit, fugavitque pecus, ut in fures incideret, ſiquidem dolo malo fecit, *furti* actio eſt, ſed etſi non furti faciendi cauſa hoc fecit, non debet impunitus eſſe luſus tam pernicioſus. Iccirco Labeo ſcribit in factum dandam actionem, (id eſt utilem *Legis Aquiliæ. vid. Dn.* PRÆS. *in Philoſ. Jur.* §. 149. & *ad Strauch. diſſert.* 19. *th.* 12. *p.* 256.) ULPIAN. *l.* 50. §. 4. *de furtis.* Panni *rubri* mentionem ideo fecit JCtus, quia Tauri colore rubicundo excitantur ad iram. SENECA *lib.* 3. *de ira.* *Unde OVID. lib.* 12. *Metam.*

Haud ſecus exarſit, quam circo Taurus aperte
Cum ſua terribili petit irritamina cornu
Phœniceas *veſtes.*

& CICERO *de divinatione.* *Tu quid habes, quare putemus, cor in tauro opimo ſubito in ipſa immolatione interiiſſe; an quod aſpexit veſtitu* purpureo *excordem Cæſarem, ipſe corde privatus eſt?*

§. 123. Pergo ad delicta publica. Agmen ducit inter ea *Crimen læſæ Majeſtatis* qua *divinæ* qua *humanæ.* Ad illud ſpectant (1.) picturæ impiæ, quibus majeſtati divinæ aut religioni derogatur. Cujusmodi apud paganos erant adulteria Jovis, Martis, Veneris, rapinæ Herculis & Pluto-

Plutonis, de quibus etiam Aristides licet Paganus, *in fine orat. Isthmic. in Nept. Impias picturas ego miror, quomodo, qui primi viderunt, ab eorum artificibus & autoribus manus abstinere potuerint.* Accidit hujusmodi quid aliquando quoque inter Christianos, memoratque NICEPHOR. CALLIST. *lib. XV. c.* 23. *histor. Eccles.* pictorem qui Salvatorem nostrum habitu & ornamento alicujus ex idolis ethnicis formare ausus fuerit. Sed impietatis ejus suæ graves scribit summo Numini dedisse pœnas, dextra manu arefacta, cujus ministerio nefandum opus composuerat. (2.) Violatio aut percussio imaginis, quæ Servatorem nostrum repræsentat, aut SS. Trinitatem. Notat quippe Cœpolla *de servit c.* 71. *p.* 1. *n.* 12. *p.* 210. quod percutiens imaginem Dei vel Sanctorum puniri possit Lege Cornelia de Sicariis. Ubi tamen, quod Sanctos attinet, non consentio, horum enim violatores potius pœna extraordinaria erunt afficiendi. Neque enim plane impuniti sunt dimittendi ejusmodi homines temerarii Divinum Numem per latus sanctorum contemnentes. CARPZ. *Prax. Crim. qu.* 45. *n.* 73. & eleganti exemplo ex Lipsii virgine Hallensi rem comprobat FRNCISCI Lust-Schaubühne *P.* 1. erst. Versamml. *p.* 141. *Conf. can.* 27. *de consecr. dist.* 3. At quod eum concernit, qui signum vel crucem, vel etiam imaginem Salvatoris malitiose conspurcavit, ejus pœna pro modo circumstantiarum est arbitraria *arg. l. un. C. nem. licere sign. servat. conf l.* 6. *l.* 7. §. *fin. ad. L. Jul. Majest.* MENOCH. *l.* 2. *de arb. jud. quæst. cas.* 376. CARPZ. *d. l. n.* 96. quæ etiam pro qualitate facti & personæ ad mortem extendi potest. BOER. *qu.* 31. *dec.* 241. *n.* 9. THESAUR. *decis.* 241. *n.* 5. STRUV. *de iure sacro p. m.* 86. (3.) Et Magia quandoque in imaginibus fuit exercita: Observavit enim JODOCUS SINCER. *in itin. Galliæ p.* 350. *seqq.* in fastigio domus cujusdam civis Avenionensis collocatum esse caput Cardinalis, qui malignis artibus nescio cujus nominis Pontifici toties dolores & morbos conciliabat, quoties ejus imaginem, quam secum gestabat, aciculis pungebat. *vide* HÖPPING. *de jure insign. c.* 20. *n.* 182. *f.* 942.

§. 124. Quæ de læsa majestate divina retulimus modo, ea etiam suo modo poterunt applicari ad læsam majestatem humanam. *Qui statuas aut* imagines *Imperatoris jam consecratas conflaverint, aliudve quid simile admiserint, lege Julia majestatis tenentur.* VENULEJUS *l.* 6. *ad. L. Jul. Majest. Crimenque hoc Majestatis facto vel violatis statuis vel imagini-*

bus maxime exacerbatur in milites. MODEST. *l.* 7. *§. ult. eod.* Limitationes traduat SCÆVOLA & MARCIANUS *l.* 4. § 1. & *l.* 5. *eod.* Illud vero plane beluinum, quod Maro Paulum quendam Prætorium virum detulit eo nomine, quod annulum, in quo erat imago Tiberii matellæ & obscœnis admoviſſet. SENEC. *lib.* 3. *de benefic. c.* 26. Attejo Capitoni ſervile fuiſſe ingenium non ſolum traditorum cœca ſequela *l.* 2. §. 47. *de O. J.* ſed & adulatorium judicium oſtendit, quo Lucium Ennium Equitem, ab ipſo Tiberio dimiſſum, inter reos majeſtatis referri cenſuit eo quod imaginem Principis ad promiſcuos argenti uſus vertiſſet. Unde merito TACITUS *Annal. l.* 3. notat eum inſigniorem fuiſſe infamia, quod humani divinique Juris ſciens egregium publicum & bonas domi artes dehoneſtaviſſet. Aliud exemplum de ejus adulatione in Tiberium cape ex SUETON *in de illuſtr. Grammat. c.* 22. Idem SUETON. *in Tiberio c.* 58. *Statuæ quidam Auguſti caput demſerat, ut alterius imponeret. Actares in ſenatu, & quia ambigebatur, per tormenta quæſita eſt. Damnato reo paullatim hoc genus calumniæ eo proceſſit, ut hæc quoque capitalia eſſent: circa Auguſti ſimulacrum ſervum cecidiſſe: veſtimenta mutaſſe: nummo vel annulo effigiem impreſſam latrinæ aut lupanari intuliſſe &c.* Damnati ſunt a Caracalla imperatore, qui urinam in eo loco fecerant, in quo imagines erant Principis & qui coronas imaginibus ejus diſtraxerant, ut alias ponerent. SPARTIANUS *in vita c.* 5. *p. m.* 226. *ſeq.* Sub Domitiano mulier interfecta, quod ante ſtatuam Principis exuiſſet. XIPHILINUS *in Domitiano. Vid.* GOTHOFR. *ad d. l.* 7. *§. ult. ad L. Jul. Majeſt. lit. h.* CASAUB. *ad Sueton. d. l.* Huc etiam referri poterunt uſus coloris in diviſia, quem Princeps ſibi vindicavit. vid. *ſupra* §. 61, item uſus ceræ rubræ contra prohibitionem Principis. *Magn. Dn.* STRYK. *de Cera rubra c.* 3. *n.* 47. *ſeqq.*

§. 127. In delictis extraordinariis (quæ hic paulo laxius accipiunt & popularia ſub ſe comprehendant, & vitia cenſura magis quam pœna notata) varia occurrunt obſervanda. Initio enim & in genere huc omnia referri poſſunt, quæ in capitibus præcedentibus tanquam prohibita circa colorem notavimus. Vere enim Apoſtolus: Peccatum eſt quicquid eſt contra legem. In ſpecie vero huc refero (1.) Abraſionem & aperturam ceræ rubræ in edictis Principum aut magiſtratuum, de cujus pœna *vid. Magn. Dn.* STRYK *d. l. c.* 4. *n.* 40. *ſeqq.* (2.) delictum albi corru-

corrupti *t. t. ff. de albo corrupto.* Cui analogum est maculatio citationum publicarum, item actorum. Ita enim rescripserunt Domini Scabini Lipsienses anno 1551. Nachdem Ihr uns berichtet, wie daß J. L. zu G. die dritte Citation-mit Dinte maculiret und verunreinet haben solte, und Euch dem Richter wieder zugeschickt ꝛc. S. W. Were die Citation - - - dermassen euch = = = verunreiniget ohne Entschuldigung solcher Verunreinigung wiederum zu Handen geschickt, so were J. L. von wegen solcher schmäligen Verächtigkeit und Leichtfertigkeit, Hochgedachten Churfürsten zu Sachsen in Straff und verordnete Sächsische Fürsten-Busse (*vid.* COLER. *decis.* 161. 35 GRYPH. *de Weichbild. c.* 28. 22.) gefallen und euch den Richter vor euer Person mit 30. Schillingpfennigen abzutragen schuldig. Er erhielte dann ꝛc. Similiter rescripsit Sereniss. Sax. Elector 1666. P. P. deinem Gerichts Actuario aber, daß er sich nach Ausweisung der beygefügten Acten unterstanden, auf unsern befehlichen registraturen zumachen, einen Verweiß geben und ihn dergleichen sich hinführo zu enthalten, ernstlich untersagen *vid. Dn.* SCHILTER. *Exerc.* 6. *ad Pand. th.* 25. (3.) Pictores qui cum adulterinis coloribus pingunt, tenentur Domino ad interesse. *arg. l.* 2. *& ibi* BART. *C. de murileg. lib.* XI. Item tenentur crimine stellionatus *l.* 3. §. 1. *de crim. stellion.* Et notat BARTOLUS *add l.* 3. idem in tincturibus pannorum obtinere. COEPOLLA *d. S. U. P. c.* 71. *n.* 13. *p. m.* 211. ZAHN. *de mendac. lib.* 2. *c.* 97. *n. ult. p. m.* 342. Huc refer si quis v. g. equum colore aliquo, qui pretium ejus augeret, pingeret, & ita venderet. *arg. d. l.* 3. §. 1. *stellion.* (4.) *Sequitur* pictura rerum lascivarum. Quemadmodum enim picturarum piarum ingens est efficacia in homines, *vid. exempla apud Rupertum in Val. Max. l.* 7. *c.* 10. *p. m.* 501. *seq.* & quod legentibus scriptura, hoc idiotis præstat pictura cernentibus, quia in ipsa etiam ignorantes vident, quid sequi debeant, unde & præcipue gentibus pro lectione pictura est. *can. perlatum* 27. *de consecr. dist* 3. ita picturæ venereæ irritamenta malorum sunt & hami juventutis. KLOCK. *de ærario l.* 2. *c.* 96. *n.* 10. *seqq. Cubicula plurifariam disposita tabellis lasciviissimarum picturarum & figurarum adornavit Tiberius, ne cui in opera edenda impuratæ scenæ exempla deessent.* SUETON. *in Tiberio c.* 43. Quapropter graviter monuit Aristoteles *VII. Pol. c.* 17. ad officium Magistratum pertinere, curare, ne quid pingeretur, quod actiones fœdas repræsentet. Thebis quoque lege publica prohibitum fuisse,

nequid obſcœni pingeretur, tradit Voſſius (*vide tamen* SCHEFFER. *de art. ping.* §. 9. *p.* 40.) Pie etiam & ſapienter concilii in Trullo Patres vetuerunt tabulas pingi laſcivas & *τὴς ὄρασιν καταγοητεύσας* ut ſcribitur *can.* 100. CASAUB. *ad Sveton. Tiber. d. l.* (5.) Porro uti non dubito adverſus eum, qui virgini picturas laſcivas oſtenderit, actionem utilem de ſervo corrupto locum habere *arg. l.* 14. §. 1. *l.* 2. *ff. de ſervo corrupto*, ita ſi quis picturas oſtenderet uxori alienæ tanquam ſollicitatorem alienarum nuptiarum puniri poſſe arbitror *l.* 1. *pr. de extraord. crimin.* Veriſſime PROPERTIUS.

Quæ manus obſcenas depinxit prima tabellas
Et poſuit caſta turpia viſa Domo
Illa puellarum ingenuos corrupit ocellos
Nequitiæque ſuæ noluit eſſe rudes.

CASAUB. *d. l.* (6) Imperatores Theodoſius & Valentinianus ſub graviſſima pœna vetarunt, ne ſignum venerabilis crucis Chriſti ab aliquo vel in ſolo vel ſilice vel in marmoribus humi poſitis inſculpatur aut pingatur. *l. un. C. nem. licere ſign. Salvatoris &c.* Sed hæc lex unica hodie non obſervatur. Videmus enim multa monumenta humi poſita & imagine crucis vel crucifixi Salvatoris inſignita. *Dn.* STRUV. *Jur. Sacr. Juſtin. ad d. l. un. p.* 86. (7) Denique ſi magiſtratus *colore* abjecto in veſtimentis utatur, puto mulctam pecuniariam dictari poſſe. Ita populus Romanus infenſus fuit Catoni, quod Prætor renunciatus Jus diceret indutus abjectis & laceris veſtibus, quaſi ille quotidiano & nimis obſoleto, cultu Præturam deprimeret. PEREZ. *ad Cod. de Veſt. Holober.* M. Livius ex conſulatu populi judicio damnatus erat. Hanc ignominiam adeo ægre ferebat, ut & rus migraret, & per multos annos urbe tum cœtu hominum abſtineret. Octavo ferme poſt damnationem anno M. Claudius Marcellus & M. Valer. Levin. Conſules reduxerant in urbem. Sed erat veſte obſoleta capilloque & barba promiſſa præ ſe ferens in vultu habituque inſignem memoriam ignominiæ acceptæ. L. Veturius & P. Licinius Cenſores eum tondere & ſqualorem deponere, & in ſenatum venire, fungique aliis publicis muneribus coëgerunt. *P.* ÆROD. *rer. jud. l.* 2. *t.* 16. *c.* 24 *fol. m.* 144.

§. 126. Delictis debentur pœnæ. Et *color* ſæpius *pœnæ* loco fuit adhibitus. Ita (1.) civitatibus nonnullis in pœnam perfidiæ ſuæ injunctum legimus ut ab uſu rubræ ceræ abſtineant, & *flava* imposterum ſua inſtrumen-

ſtrumenta conſignent. BORNIT. *lib.* 1. *de inſtrument. c.* 20. *p.* 87. DIETHERR. *Beſold. contin. voce* Wachs *f.* 626. HÖPPING. *de jur. ſigill l.c.* 3. §. 4. *n.* 26. Et ſi verum eſt, *quod* idem *Dietherr. ad Beſold. Theſ. voce* Wachs *f.* 984. addidit, nonnullis etiam cera *viridis* loco pœnæ conceſſa fuit. (2.) Ex Lovetio recenſet LIMN. *Tom.* 1. *Addit. ad Lib.* 4. *cap.* 8. *p.* 313. a Parlamento Pariſienſi latam fuiſſe ſententiam ann. 1582. qua condemnati fuerint ii, qui ceſſerunt bonis, licet ſine fraude, ut uterentur pileo *viridi*, quem ipſis deberent ſubminiſtrare creditores, ut, ſi deprehenderetur ſine hoc pileo, poſſint retrotrahi in carcerem. *Conf.* PEREZ. *ad Cod. qui bon ced. poſſ. n.* 22. Alibi portant pileum coloris *flavi*. LIMN. *d. l. p.* 312. Idem & Jure Saxonico conſtitutum Erled. 1661. Tit. von Juſtitien-Sachen §. 78. Daß die Falliten eine zeitlang nach des Ordinarii Judicis Ermeßigung zu Anzeigung ihres in Nachläßigkeit u. Verſchwendung geführten böſen Lebens einen gelben Hut zu tragen, und andern ihres gleichen beſſer als ſie hauszuhalten, ein Beyſpiel damit zu geben, angehalten werden ſollen. Similiter JOH. LIGHTFOOT. *Hor. Hebr. cent. chorograph. Matth. præmiſſ. c.* 31. *p. m.* 74. ex Joma refert: *In Conclavi Gazith ſedit Synedrium Iſraëlis & judicavit de ſacerdotibus: quicunque labe tactus repertus eſt*, atro *veſtitus erat & velatus* atro, *atque abiit: quicunque abſque labe*, albo *veſtitus atque velatus in atrium conceſſit & miniſtravit fratribus ſuis.* (3.) Pœnæ etiam loco colores inſignium mutati. Alſo iſt von König Albrechten in Oeſterreich Reinhard Graven zu Hanau (welcher König Adolphs von Naſſau Fendrich, und denſelben, als er überwunden, bedient war) das Wapen geändert, der gelbe Löwe in ſchwartzen Felde Ihme abgeſtrickt, und an deſſelben ſtatt roth und gelbe Sparren zu führen auferlegt worden, wie auch denen von König- und Ep-Stein. DIETHERR. *ad Beſold. voce* Wapen *fol.* 987. (4.) Spectat huc etiam pœna ſtigmatum faciei inuſtorum (per ea quippe mutatur color cutis) quam Juri divino & naturali non repugnare oſtendit HÖPPING. *de jur. inſign. c.* 18. *n.* 253. *Conf.* DIETH. *ad Beſold. voce* Brandmahl. Et jure Romano eam receptam fuiſſe argumento ſunt *l.* 1. §. *fin. ff. de fugitiv. l.* 17. §. 1. *in fine de uſufr. Conf.* VALER. MAXIM. *l.* 6. *c.* 8. Quamvis autem Conſtantinus *l.* 7. *C. de pœnis* vetuerit, ne ſtigma faciei pœnæ cauſa inuratur, ne ſcilicet illa ad cœleſtis pulchritudinis ſimilitudinem condita, damnationis maculetur inſcriptione aut cicatricibus deformetur, (infirma ratio.) tamen hodie & mori-

moribus Germanorum, Gallorum, Hiſpanorum & Anglorum ac Saxonum eandem quandoque obſervari docet HÖPPING. *d. l. n.* 258. *ſeqq.*

CAPUT VI.
Uſus coloris in Proceſſu.

SUM MARIA.

Connexio §. 127. *Uſus Coloris in libello* §. 128. 129. *probationibus* §. 130. 131. 132. *recognitione* §. 133. *judice* §. 134. *proceſſu criminali* §. 135.

§. 127.

REſtat Proceſſus. Hic eſt vel Civilis vel Criminalis. In Civili conſiderandæ tres perſonæ: Actoris, Rei, Judicis. Officium actoris eſt inter alia, ut libellum rite formet, tum ut intentionem ſuam probet.

§. 128. Libelli forma eſt vel externa vel interna. Ad externam libelli ſcripti ſpectat quod debeat ſcribi *in charta* candida *non* atra *aut bibula aut diſcoloria aut maculata aut deleta literis nigris, non nigricantibus aut ſubnigris, multo minus plane pallidis* aut *alienis coloribus*, viridibus *aut* rubeis; *Prout ille novellus Practicus, qui legerat libellum rubricam debere habere, ob id Libelli titulum ſeu inſcriptionem rubeis notaverat literulis, qui explosus cachinnoque exceptus libellum recipere & ſtylum Saxonicum nigris literulis transferre juſſus.* Quir. SCHACHER. *in Coll. pract. proleg. p. 9. lit. c. f.*

§. 129. Interna forma libellorum radicata eſt in genio cujusque actionis. *Si veſtimenta noſtra eſſe vel dari oportere nobis petamus, utrum numerum eorum dicere debebimus, an & colorem?* PAULUS quærit *l.* 6. *de R. V.* Et reſpondet *magis eſſe ut utrumque. Nam illud eſſe inhumanum cogi nos dicere trita ſint an nova.* Similiter ULPIANUS *l.* 19. §. 4 *de furtis* in actione furti *de veſte* quærit *an* color *ejus dicendus ſit? Et verum eſt, inquit*, colorem *ejus dici oportere, ut quemadmodum in vaſis dicitur patera aurea, ita & in veſte* color *dicatur. Plane ſi quis juret, pro certo ſe* colorem *dicere non poſſe, remitti ei hujus rei neceſſitas debet.* Unde & Doctores hanc limitationem ad rei vindicationem extendunt. Procedere tamen iſtam remiſſionem ob juramentum ſaltem in receptione libelli notat GLOSSA *ad d. l.* 1. §. 40. *lit. h.* non quoad ſententiam pro eo dandam niſi poſtea color probatus fuerit. Si enim incerta eſt petitio, non

po-

teſt eſſe certa ſententia. Alium caſum proponit *Hippol.* BONACOSSA *qu.* 4. *de equo ap.* SPEIDEL. *in ſpeculo voce* Pferd *fol.* 9. 4. *Petebat actor equum totum* brunum, *reus autem libellum non procedere contendebat, quia multi reperiuntur equi toti bruni. Reſpondit Albericus in contingentia facti ita determinatum fuiſſe, quod equus actori exhiberetur, qui declarare deberet, an idem eſſet petitus equus.*

§. 130. Probatio fit per argumenta vel artificialia vel inartificialia. STRAUCH. *diſſ.* 25. *th.* 12. Illis opus eſt quam maxime in probatione filiationis, ſcilicet reſpectu patris. *vide* MENOCH. *Arb. Jud. quæſt.* 62. *cent.* 1. *caſu* 89. ZACH. *Qu. Medico Legal. l.* 1. *t.* 5. *qu.* 4. GROT. *de J. B. & P. l.* 2. *c.* 7. §. 8. unde quæritur: an etiam probatio deſumi poſſit a ſimilitudine v. g. quod filius ſit ejusdem *coloris* cum patre, aut habeat notas *gentilitias* easdem cum patre? ZACHIAS *d. l. n.* 18. ſtatuit ſolum colorem quidem non facere præſumptionem, ſed tamen eum cum præſumtionibus etiam levioribus junctum evidentiſſimam facere præſumtionem filiationis. Nos vero, contrarium verius eſſe opinamur per ea, quæ late HÖPPING. *de Jur. Inſign. c.* 18. *n.* 32. *ſeqq. item n.* 204. *ſeqq.* atque adeo ſimilitudinem ejusmodi, ſi aliæ circumſtantiæ adſint, v. g. ſi conſtet, virum mulierem illam deperiſſe, ſaltem qualem qualem facere ſuſpicionem, MENOCH. *d. l. n.* 102. Refert ſingularem caſum MORNAC. *in obſ. ad l. aliter* 3. C. *minor ſe major. dix. Quidam nomine Matrius cum eſſet viduus, tresque haberet liberos ex defuncta conjuge, devirginavit puellam - - - filiumque ex ea ſuſcepit, quod tamen negavit poſtea. Puella igitur movit litem de agnoſcendo partu - - - - aitque infantuli ſui coxæ innatam eam ipſam notulam, quam Matrius ac ſinguli ipſius ex priore matrimonio liberi in inferiore obſcœnaque illa parte contegerent. Poſtulat proinde apud Judicem, nudari intima Matrii, natorumque ipſius, femora, ut ex nota ſemper ſimili - - - - liqueat, veriſſimum eſſe quod aſſerit. Hoc ſtatuit male Conſultus-Juridicus, Appellat Matrius Senatum. Patroni hinc inde rationes - - - committunt: - - - demum Senatus - - - petitionem inſpectionis pudendæ ut* alienam *turpem atque infamem repulit anno* 1608. *die* 9. *Febr.* Vere ut *alienam.* Si enim pertinens fuiſſet, inſpectio iſta ut turpis jure improbari non debuiſſet. HÖPPING. *d. l. n.* 215. Aſt hodie videtur probatio a ſimilitudine deſumta in Gallia locum habere. Ita enim Novellæ hujus anni de dato Paris d. 10. Febr. Sonſt iſt zwiſchen ihrer zweyen ein harter Proceß über eine

Frauens-Person entstanden, welche ein ieder unter ihnen geschwängert zu haben vorgegeben, und dannenhero ehlichen will, nachdem auch sie selbst den rechten Vater von beyden nicht zu unterscheiden weiß, dürffte der Schluß ihre Niederkunfft zu erwarten, alsdenn aber aus der Aehnlichkeit des Kindes zu urtheilen, fallen. Dicerem raram esse litem de conjugio meretricis, nisi similem casum retulissent eædem Novellæ ex Anglia de dato Londini d. 16. Martii hujus anni. Madame Heyde mit cher Mons. Emmerton verheyrathet zu seyn vorgiebt, ist diese Tag weleines jungen Sohnes genesen, welchen der Lord Humbley vor sein Kind, und gedachte Dame vor seine Frau erkennet, wird sich demnach nun weisen müssen, welcher von Ihnen beyden vor den rechten Vater erkläret werden möchte. Cæterum quod relationem Parisiensem concernit, videtur in ea quæstio Domitiana contineri, non tam quod filiatio ex similitudine infantis definiri queat (posset enim pro ista afferri iterum ZACHIAS *d. l. quæst.* 5. *n.* 15. *f.* 111. a quo tamen per modo dicta dissentimus) quam quod nuptiarum decisio inde dependere debeat. An enim in Gallia cogetur fœmina invita eum ducere, quia eam stupravit? An stuprum erit modus probandi conjugium? Et annon ipsa antequam partum edat, poterit electione sua libera maritum sibi constituere & ita litem dirimere.

§. 131. Argumenta inartificialia desumuntur a testibus & instrumentis. Cœcus in probando *colore* testis esse non poterit *arg. can. Testes* 15. *c.* 3 *qu.* 9. *cap. cum causam* 37. X. *de Testib. vid. Magn. Dn.* STRYCK. *de jur. Sens. disp.* 2. *cap.* 4. §. 22. *seqq. p.* 150. *seq.* etiamsi tactu colores discernere noverit, *vide supra* §. 11. quia hæc discretio sæpe fallax est. Ita de suo Vormaasen refert BOYLE *in Exper. de color. p.* 53. eum bis erraſſe, appellasse sc. album nigrum, & rubrum cœruleum.

§. 132. Quod instrumenta attinet, ad ea non incommode referri poterunt picturæ publicæ, utpote quæ maximam probandi vim habent. *vid.* LIMN; *J. P. l.* 2. *c.* 4 *n.* 92. *Conf.* SCHEFF. *de art. ping.* §. 5. *p.* 19. 20. Cavere autem debet actor, ut non producat instrumentum, in quo diversitas atramenti deprehenditur. Quamvis enim verius sit, eam solam nequaquam augere Scripturæ falsitatem, nisi concurrat etiam diversitas manus. MENOCH. *de præsumpt. l.* 5. *præs.* 20. *n.* 9. facile tamen fieri poterit, ut per eandem inducatur suspicio judici (præsertim si sit in substantiali-

ſtantialibus inſtrumenti) in cujus arbitrio adeo ſita erit determinatio reliquarum circumſtantiarum, an eæ ſuſpicionem augeant an minuant. FARINAC. *qu. crimin.* 153. *part.* 1. *n.* 15. *ſeq. & part.* 9. *n.* 155. *Conf. Dd. a* DIETH. *ad Beſold. voc.* Dimten *f.* 200. *& in Beſ. cont. f.* 163. *citatos &* FINCKELTHUS, *in append. obſ.* 15. Deniquequamvis Cambium varia habeat privilegia, nec in hoc tamen ex ſola atramenti diverſitate falſitas præſumenda erit. *vid.* SPRENGER, in der Wechſel *Practic. p.* 46. *ſeqq.* De color cerarum in probationibus attendenda *vid. Magnif.* D. STRYK. *de cera rubra c.* 4. §. 2. 3.

§. 133. Ex his quæ de Actore dicta ſunt, reus perſpicere poterit an recte adverſus libellum actoris aut ejus probationem aliquid ratione coloris excipere poſſit. Præterea cum ad reum regulariter ſpectet recognitio, hoc obiter notemus, & ſtigmata ſervis vel animalibus inuſta recognitioni ſubjacere. Quomodo vero illa facienda ſit, tradunt ANT. CORSET. *in ſing. verb. Teſtis.* HOEPPING. *de J. Inſ. c.* 18. *n.* 242. *f.* 217.

§. 134. Excluſimus ſupra cœcum de teſtimonio ſuper coloribus. An etiam excludemus ab officio Judicis? Minime. Etſi enim album & nigrum diſcernere nequeat, mente tamen dijudicare poteſt, quid juſtum ſit, quidve injuſtum. Et poterit Judex ea quæ oculis expedienda ſunt per aſſeſſores vel delegatos expedire. Quamvis id hodie vix procedet, quoniam Judicis officium plerumque cum dignitate magiſtratus eſt conjunctum. *Vide Dn.* PRÆSID. *ad Strauch. diſſ.* 21. *th.* 4. *p.* 281. Eſt vero Judicis, ut ſententia litem partium dirimat, in quarum publicatione Judex ſecundum quorumdam locorum conſuetudinem ſolet baculum *album* manibus tenere. *conf. ſupra* §. 46.

§. 135. In Proceſſu Criminali varia etiam ſe offerunt, qua ex antiquitate & hiſtoria deſumta, qua ad praxin reſpicientia. Ad illa pertinent (1) Veſtis *atra* reorum. *vide* DEMPSTER. *ad Roſin. antiqu. lib.* 4. *c.* 9. *p. m.* 280. *a. in fin. & b. in med. conf. ſupra* §. 126. (2.) Uſus calculi *albi & nigri* in ſententia capitali ferenda. *vid.* DEMSTER. *d. p.* 280. a & nota eſt fabula Æſchili & Euripidis de calculo Minervæ, de qua *vid.* DISSERT. BOECL. *cui tit. Calculus Minervæ.* (3) De executione in effigie *de qua vide diſp. Jenæ ſub Domino* STRUVIO *habitam.* Ad hæc ſpectant quæſtiones. (1) An liceat pictura commiſſi ſceleris præoccupare judicis animum? *Conf.* SCHEFFER, *de art. ping.* §. 5. *p.* 26. (2.) An venia criminis

vel

vel pœnæ mitigatio concedenda pictori ob artis excellentiam; (3.) An indicium adulterii sit si imago uxoris alienæ, apud masculum deprehendatur & vice versa? *Exemplum de Johan. Burgundi uxore vide ap.* DIETH. ad *Besold. voc.* Mahler *f.* 661. (4.) An color pallidus faciei sit indicium adulterii & scortationis? *Conf.* KORNM. *de Jure Virg. c.* 82. (5) An color infantis conveniens cum adultero, sit indicium adulterii. *Conf.* §. 130. (6.) An color ruffus crinium augeat indicia delictorum? *Conf.* RUPERTUM *ad Salust. p.* 549. (7.) An mutatio coloris in responsione inquisiti sit sufficiens indicium ad torturam? *Conf. Dn.* BRUNNEM. *proc. inquis. cap.* 8. *n.* 87. (8.) An stigmata præbeant indicium veneficii? *Conf.* HÖPPING. *de Jur. Insign. c.* 18. *n.* 280. *seq. f.* 922. SPEIDEL. *in Speculo voce* Hexen *f. m.* 598. Sed harum decisionem a me ne expectes Benevole Lector, cum jam citra propositum in immensum nimis excreverit discursus meus. Relinquo easdem ingenio tuo, speroque veniam si non omnia attuli, si non recte controversias definivi. Colore nullo utar in excusationem meam. Homo sum ego, tute ipse homo es, errare humanum est.

S. D. G.

COROLLARIA.

I. Jus concedendi usum ceræ rubræ putamus ad reservata Imperatoris spectare. Hoc tamen non obstante Electores Imperii eundem usum subditis suis juste concedent. II. Locus religiosus seu sepulchrum potest præscribi qua Justinianeo, qua Saxonico Jure III. Valet pactum, quo promitto alteri aliquid sub conditione: si lusero. *ved.* PHILIPPI. *lib.* 3. *Ecl.* 89 sed an etiam subsistet pactum, quo promitto alteri aliquid: ne ludat? Videtur obstare *l.* 7. §. 3. *de pact.* Putamus tamen valere.

FINIS.

Bayerische Staatsbibliothek München

BSB Bayerische StaatsBibliothek
MDZ Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Thomasius, Christian,

Tractatio iuridica de iure circa colores von Farben-Recht

Lipsiae 1683
4 Diss. 3666,4
urn:nbn:de:bvb:12-bsb10971127-5